


FONS VITAE
ET SAPIENTIAE,
Vel
AD VERAM SAPIENTIAM
acquirendam Hortatio:

In qua diuinæ ſcripturæ & ſapientiæ, ſacræq; Theologiæ natura, vtilitas, neceſſitas, ac dignitas explicatur, & a calumnijs defenditur; atque homines ab inutilium librorum lectione, nimioq; humanarum artium ſtudio, ad rerum diuinarum cognitionem, ex ſacris literis, & ſanctorum Patrum ſententijs, reuocantur.


AVCTORE LVDOVICO CARBONE
A COSTACIARO,

Academico Parthenio, & Sacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publico Profeſſore.

CVM DVPLICI INDICE, QVORVM alter operis capita, alter res notabiles continet.




VENETIIS, MDLXXXVIII.
Apud Damianum Zenarum.



PERILLVSTRI
AC REVERENDISS.
DOMINO,
D. MARIANO
PERBENEDICTO

Marturanensium Episcopo, & Almæ Vrbis Gubernatori, ac Vicecamerario dignissimo,

Ludouicus Carbo S. D.



VM his diebus, Præsul optime, sacrum diuinæ legis codicem in manus sumpsissem; atque inter legendum in eum locum, vbi Salomon omnium hominum sapientissimus, diuino afflatus spiritu, omnes mortales ad veram sapientiam acquirendam ora-

tione, ad cuiuſuis animum tantæ rei amore inflammandum, maxime idonea, hortatus eſt, incidiſſem; in eam cogitationem veni; quid cauſſæ eſſet, cur tam pauci ſint, & qui ſunt, tam frigide in rebus diuinis cognoſcendis verſentur: cum tamen, hac vna re, omnium bonorum genera, veras nimirum voluptates, veras opes, veros honores, veraſque virtutes, eodem Sapiente auctore, conſequi facillime quiſque poſſit. Rem ergo maxima admiratione dignam, cum mecum ipſe tacitus cogitarem, non nullæ mihi in mentem venerunt cauſſæ, ob quas homines diuinæ legi, qua nemo eſt qui non indigeat, cum in eius cognitione noſtra vita, noſtraque ſalus ſita atque collocata ſit, non ita libenter, ac diligenter operam darent: quas, ſi quis, mecum dicebam, e medio auferret, fideleſque ad diuina ſtudia colenda excitaret, prouinciam Deo opt. max. non ingratam, & reip. Chriſtianæ non inutilem, ſuſciperet. Cum hæc itaque animo tractarem, quodam iuuandæ reip. cui omnes nati ſumus, deſiderio incenſus, ſtatim calamum arripui, & quę ex ea oratione, & quæ ex alijs ſcripturæ

diuinæ

diuinæ locis, quæque alias antiquos Patres legendo, de vtilitate, voluptate, necessitate, prestantiaque diuinæ legis, sacreque Theologie studij collegeram, copiosius explicare, simulque rationes, propter quas multi a veræ sapientiæ studijs abhorrent, aut certe ea leuiter attingunt, exponere cœpi: & paucorum dierum spatio, & si varijs distinerer curis, de re suscepta opusculum confeci. Et quanuis principio, huius lucubrationis editionem ad illud vsq; tempus, quo, fauente Deo, viginti quinq; diuinarum institutionum libros foras dabo, in quibus, quæ volenti in lectione sacræ scripturæ versari, necessaria sunt, ea omnia diligenter copioseque tractaui, differre statuissem; postea tamen, iustis de caussis, mutato consilio, & prius, & seorsim, hoc opusculum in hominum lucem mihi edendum esse existimaui. Et cum ipse mecum reputarem, sub cuius potissimum tutela ederem; tu vnus, Reuerendiss. Præsul, ex multis, mihi occurrebas, cui hoc, quidquid est operis, dicare iure possem, ac multis honestisque de caussis deberem. Primum quidem, quod quanti veram sa-

pientiam, cuius laudes priuatim hac nostra lucubratione celebrantur, ad cuius studium singulari quadam Dei cura, aliquando vocatus fuisti, semper feceris, optime noui. Etenim, vt te olim mihi narrasse memini, cum prius arma tractares, postea priuato Beatæ Virginis, quam semper summa religione coluisti, & colis, auxilio, quodam vitæ amittendę periculo declinato, in adulta iam ætate, carnalibus positis armis, arma sumpsisti spiritalia, sacram nimirum togam, eamque scientiam, quæ susceptum vitæ genus maxime decebat: quam tanto animi ardore amplexus fuisti; vt, & si antea vix prima literarum elementa teneres, paruo tamen temporis spatio, humanarum atque diuinarum scientiarum cursu peracto, summa cum laude, me pręsente, Romæ, sacræ Theologiæ Doctor fueris creatus. Quo tuo singulari exemplo, sępe meos discipulos, iam ętate maturos, & de studiorum progressione desperantes, vera narro, ad optimarum artium studia, christianamq; philosophiam perdiscendam, me excitasse, & animasse memini. Tibi igitur, qui pręcipua quadam ratione, ve-

ram

ram ſapientiam, ſemper coluiſti,de laudibus verę ſapientię liber nuncupandus fuit. Ea deinde ad hanc lucubrationem tibi dicandam me honeſta adduxit ratio, quod hactenus, vt quod ſentio, & omnes qui te norunt, mecum ſentiunt, dicam, qui magis bonarum literarum ſtudioſis faueat, prodeſſeque percupiat, cognoui neminem. Norunt id Academici Parthenij, vt de alijs nunc taceam, quos tu multis & maximis, tum communibus, tum priuatis officijs,in re prę ſertim literaria, ſem per ornaſti: quę ſi recenſere, ac ea, quę narro,veriſſima eſſe,pluribus exemplis cõ probare vellem, nuncupatorię epiſtolę limites tranſilirem. Quo etiam loco, quæ de tua in me benefica voluntate narrare poſſem, ſilentio inuoluam; ne hoc munuſculum, magis pro acceptis abs te beneficijs, quam pro tuarum virtutum meritis, tibi offerre velle, ac debere videar: Id tamen vnum dixerim, ex quo, quantum tibi debeam, facile quiuis intelliget, te magis de meis commodis & ornamentis ſolicitum ſępe fuiſſe, quam ego ipſe fuerim: vt tantum me tibi debere ſentiam,quãtum,etiam, ſi quidquid poſſum,

tibi tribuerem, nullam tuorum in me meritorum partem videar assecutus. Iure igitur optimo sub eius nomine hęc nostra de vera sapientia comparanda prodibit cohortatio, qui verę sapientię studiosis, in quorum numero Academici Parthenij; quippe qui potissimum diuinis literis incumbunt, ponendi sunt, quibuscunq; rebus potuit, prompto animo semper fauit. Accedit præterea, quod, cum Congregationem Academiamq; Beatę virginis Annuntiatę in Collegio Romano Societatis Iesu, varijs beneficijs affeceris, tuoq; nomine illustraueris, multum tibi debere sciam, meque eidem Congregationi, tanquam de me optime meritę nutrici, ac matri, multum me deuinctum esse intelligam, cui, si quid in me est, vel doctrinæ, vel religionis acceptum referre debeo, ac refero; existimaui, non solum tibi, sed etiam toti Congregationi, aliqua ex parte, vno eodemque tempore, me satisfacere posse; si, tanquam eius Alumnus, pro tuis in eam & in me meritis, aliquid tibi offerrem. Et denique, ne plures caussas percenseam, ea etiam me excitauit ratio, quod fortasse

hac

hac mea nuncupatione efficiam, vt ij, qui eam legent, quantum in te ſit uirtutis & ſapientię facile intelligant: cum te unum ex multis grauiſſimis uiris, qui ſeſe mihi offerebant, quibus hanc meam ad ſapientiam acquirendam paręneſim dicarem, dignum potiſsimum iudicauerim. Quod ſi meum de tuis meritis, tuaque doctrina iudicium aliquibus fortaſſe imbecillum uideretur, facile, quod ad me attinet, patiar: ſed, qui meam de te opinionem parui putaret faciendam, is caueat, ne ſimul etiam Gregorij XIII. & Sixti V. grauiſsimorum Pontificum iudicium imprudenter parui pendendum putet: cum uterque Pontifex tantum tibi tribuendum eſſe exiſtimauerit, ut alter, nullis humanis fauoribus, & officijs, ſed tuis ſolummodo maximis meritis motus, grauiſsimam Epiſcopi perſonam, uniuerſo purpuratorum approbante ſenatu, cum tu id, non modo, ut fieri ſolet, non curares, ſed nec cogitares quidem, tibi impoſuerit. Alter uero, tanquam optimus meritorum ęſtimator, honorumque diſpenſator, ſtatim atque totius Eccleſię gubernacula accepit, a tuo Epiſcopatu te

accersiuit, ac prȩter omnium opinionem, sed non prȩter tua merita, Almȩ Vrbis Gubernatorem creauit. Latissimus hic mihi ad meam opinionem de tua uirtute, religione, atque sapientia confirmandam, daretur campus, in quo fuse lateque excurreret oratio; si quȩ in Episcopatu, & in prȩtura gerenda, uigilanter, sapienter, religioseque gessisti, exponere fusius uellem: quod certe facerem, ni huius epistolȩ nuncupatoriȩ angustijs, quȩ amplissimas tuarum uirtutum laudes capere minime possent, impedirer. Alias igitur, locum oportuniorem nactus, quid de te sentiam, quantum in te probitatis, quantumque meriti sit, plenius testatum relinquam. Nec etiam uelim, ut a me, qui non generi, non alienis meritis, sed solis proprijs uirtutibus laudem deberi semper existimaui, aliquid laudis a tuis maioribus nobili genere natis, repetitȩ, requiras; cum prȩsertim non minorem splẽdorem familiȩ tuȩ, tuis ornamentis, attuleris, quam ab ea acceperis. Illud etiam me a longa tuarum uirtutum prȩdicatione retrahit, quod non tantum in me eloquentiȩ esse uideam, quantum ad eas,

non

non dicam explicandas, & exornandas, ſed etiam recenſendas, eſſet opus. Quis enim explicet quantam in bonis honeſtisque ſtudijs colendis diligentiam ſemper adhibueris? quanta cum moderatione, & pietate multos annos in ea Congregatione, de qua paulo ſupra ſcripſi, verſatus fueris? quantum pijs ſermonibus, chriſtianis conſilijs, & vitæ genere, eum optimorum Iuuenum cœtum iuueris? quanta vigilantia, prudentia, caritateque tibi commiſſum gregem paueris? quanta dexteritate, conſtantia, integritate, & iuſtitia, Vrbem totius orbis caput, gubernes? ac proinde quanta ſis laude & gloria dignus? cum in vtroque procurationis genere, ſpiritali nimirum, atque politico, quod in paucis reperire licet, tantum excellas, quantum pauci in altero ſolummodo præſtant. Ea itaque es natura, atq; ingenio præditus, vt quocunque te applicueris, in eo tuæ virtutis claram ſignificationem præbeas. Mirati ſunt non nulli, quod ſæpius obſeruaui, eum ad humanum regimen a ſummo Pontifice fuiſſe vocatum, qui non humanarum legum, quarum tamen non es ignarus (in

eas

eis enim tecum olim aliquam operam me posuisse memini) sed sacræ Theologiæ esset doctor: quorum profecto omnis cessabit admiratio, si quę nos capite vigesimo nostri opusculi, scripsimus, diligenter considerauerint: vbi, quam iuste, quam pacate, quamque pie remp. administrare possint, qui fuerint diuinæ legis periti, perspicuę demonstrauimus. Quare, si vere, vir sapientissimus Plato, cuius sententiam sapientes approbarunt omnes, tunc fore beatas resp. affirmauit, quando, vel Philosophi eas administrarent, vel, qui administrant, philosopharentur; quanto magis ego his temporibus Romanam Vrbem beatam esse asseuerare potero, cum non solum a Philosopho, sed etiam a christianæ sapientiæ pererudito, & legum humanarum non ignaro homine gubernetur? Quamobrem, vt in cæteris rebus sapientissimus Pontifex, qui sua singulari sapientia ad supremum in rep. Christiana dignitatis gradum peruenit, sapienter se gessit; ita & in hac, quod te eodem sapientię genere ornatum, ad partem sui oneris suscipiendam adsciuerit: vt is, qui, quæ

paulo ante dicebam, veriſſima eſſe optime intelligit. Grauiter itaque errant ij, qui exiſtimant, non eſſe eorum qui philoſophari ſolent, rempub. adminiſtrare, quaſi philoſophia non ſit ea, quæ optime reſp. conſtituit, & ad eas optime gubernandas rationem præſcribit, atq; hominum vires ita anguſtas & contractas eſſe arbitrantur, vt idem, & in negocijs gerendis, & in rerum humanarum diuinarumque cauſſis cognoſcendis, excellere non queat: in quo diſpari ſtudio, tu, ſapientiſsime Prætor, & Paſtor, pari cum laude verſaris. Quod dum facis, & eorum, qui ſola rerum cogitatione delectati, actionem, in qua omnis virtutis laus ſita eſt, & eorum, qui veri inueſtigatione neglecta, ſine qua nihil prudenter geritur, culpam fugis, & vtriuſque vitæ præmium, gloriamque promereris. Summa itaque laude ſummus Pontifex dignus profecto eſt, quod iſtam honoratam, atque grauem tibi commiſerit præturam: cum nullus ſit honor tantus, qui in te collatus, non videatur ei qui contulerit, magnam, & iudicij, & ſapientiæ laudem allaturus. Et quoniam ad eos dignitatis gradus, qui-

bus

bus duo te summi Pontifices ornarunt, ea uitæ ratione, quam in Congregatione & Academia Parthenia iniuisti, te præcipue idoneum ac dignum reddidisti; nunc, si opus esse existimarem, te contentione, quanta maxima possem, orarem, atque obsecrarem, ut quemadmodum antehac fecisti, ita posthac Fratres & Academicos tuos, quibuscunque rebus posses, iuuares: ut qui optime nosti quantum utilitatis ex nostra Academia capiat Ecclesia: cum ex ea paucorum annorum spatio, plures Cardinales, plures Episcopi, plures Prælati, Doctores, Canonici, Curati, & Sacerdotes plures, & Religiosi pene innumeri, christiana pietate imbuti, & sacris literis ornati prodijerint. Et sane, quid potest Vir ecclesiasticus, & Ecclesiæ Prælatus efficere, quod maiorem ei gloriam apud omnem posteritatem, & apud Deum maius meritum pariat, quam si eorum foueat conatus, qui omnes suos labores, omnes uigilias, & studia omnia eo referunt, ut aliquando in Dei gloriam, & fidelium utilitatem cedant; quod Academici Parthenij, Beatæ Virginis auxilio, & Religiosorum Patrum Societatis Iesu

cura,

cura, atque diligentia, faciunt. Hac una præcipue re, Reuerendiſ. Præſul, eam, quę in te eſt ſapientia, illuſtriorem facies, teq; maioribus gradibus adhuc digniorem red des, ſi honeſtis, pijs, ueræque ſapientiæ cupidis adoleſcentibus faueris. Neque hæc a me in eum finem ſcribuntur, ut te ad tam præclarum opus excitem, cum te ſatis incitatum eſſe ſciam; ſed, ut ea dem erga Academicos noſtros uolunta- te, qua tu, me affectum eſſe, tibi patefa- ciam. Ardeo enim cupiditate incredibili, neque, ut arbitror, reprehendenda, ut A- cademia noſtra in dies magis, magiſque floreat, & uniuerſæ Eccleſiæ uberiores fructus afferat. Sed iam faciam huic meę nuncupationi finem, ſi te prius orauero, vt hoc opuſculum meę erga te perpetuæ obſeruantiæ ſignum, eo animo accipias, quo offertur: quod ſi feceris, nihil ve- reor, quin munus tua, amplitudine digniſ- ſimum, a me tibi tributum fuiſſe exiſtima turus ſis; cum tanto animi ſtudio offeram, quanto pro tuis maximis meritis, & tua in me ſumma voluntate, debeo, ac poſ- ſum: id quod te facturum ſpero. Neque enim illa animi tui, qua es præditus ma- gnitudo,

gnitudo, a me, vel re, vel ſtudio ſe ſuperari, aut ęquari vnquam patietur. Quo nouo beneficio, ſi abs te me affectum fuiſſe intellexero, operam dabo, vt aliqua maiore ſignificatione, te multo maiore munere, eo, quod nunc à me tibi offertur, perdignum eſſe alias demonſtrem. Interim, Deum opt. max. vt hactenus ſemper feci, orabo, ut te Eccleſię ſuę, & bonarum artium ſtudioſis, corpore & animo diu incolumem conſeruet. Vale.

Venetijs, Kal. Mar. 1588.



VARIA, IN DIVINAM SCRIPTVRAM,

Sacramq; Theologiam,& in huius operis Inſcriptionem, carmina:

QVIBVS LECTORES AD VERAE ſapientiæ ſtudium inuitantur.



VINCENTII GILIANI.

Cui Muſæ parent omnes, Pallasque miniſtrat,
Et Peitho fandi grata lepore ſubeſt;
Illa ego ſum, quæ pando fores, atq; atria cęli,
Tergeminumq; vno numine pando Deum.
Si me poſthabita, harum hoſpes capiaris amore,
Non tuus iſte omni luce carebit amor?

EIVSDEM.

Quã bene Carbo tuos, Dea magna, extollit honores?
Et quam iure homines ad tua ſacra vocat?
Carbo ardens ſancto Chaos atrum diſcutit igne:
Et tu atrum ſancto diſcutis igne Chaos.
Et nil te melius videt alto Phœbus ab axe:
Et nil hoc melius Phœbus ab axe videt.

EIVSDEM.

O' Dea, quæ summo dilaberis Atheris axe,
Et nobis certam pandis ad astram viam.
Non tot purpureis noctu micat ignibus æther,
Quot tu sidereo lumina ab ore iacis.
Quisquis te primis mirari discet ab annis,
Atque tuos monitus, & tua facta sequi:
Inter hic æthereas æuum se degere Nymphas,
Et se inter summos sentiet esse Deos.

EIVSDEM.

Qui fons hanc læto percurrit murmere vallem,
Canaque liquenti lilia nutrit aqua;
A rutilis cęli missus delabitur astris,
Atq; eadem, vnde venit, rursus ad astra redit.
Hinc hauri, arentemq; sitim solare viator,
Et perfunde sacris sordida membra vadis.
Nam, nunquam posthac sities, fiesque nigrante
Et rauco ex coruo, dulcis & albus olor.



FABII PETRONII ACADEMIAE PARTHENIÆ RECTORIS,

EIVSDEM ACADEMIÆ, ET CONgregationis Beatæ Mariæ Virginis Annuntiatæ, In Collegio Rómano Societatis Iesu nomine,

De Carbone suo.

Hic olim nostrum Carbo cumulauerat ignem,
Quem Christi nobis iunxerat vnus amor.
Nec tamen auulsus flammæ pia semina perdit:
Accensas spargunt scripta fouentq; faces.

LVDOVICI CARBONIS,

De Fratribus & Academicis suis.

Hic vos extinctus Carbo cumulauerit ignem?
Quin vobis iunctus canduit igne pio:
Flammæque auulsus conseruat semina, nanque
Inde habet vt spargat charta pusilla faces.

EIVSDEM.

Non dedit, accepit, quæ seruat semina Carbo.
Vestra ergo hæc spargit pagina luce faces.

ASCANII SANSEVERINI
Neapolitani Academici Parthenij.

Carbo in fronte libri fonti cur proximus hæret?
An quia cœlestes hæc parit vnda faces?
An quia cui dederit diuinus spiritus ignem,
De ventre hic viuæ flumina fundet aquæ?

BERNARDINI BRIGANTII
Romani Academici Parthenij.

Igneus hic Carbo est; hic Carbo est Gemeus: at quos
Siue rogus latices, siue pyropus habet?
An quia, congestis doctrinę floribus, ignis
Huius odoriferas exprimit ardor aquas?
An quia gemmanti spatiantur lapsa lapillo
Flumina, ab Empyria qualia sede cadunt?

FABII SERGARDII ROMANI
Academici Parthenij.

Isaiæ cap. 6. *Incendere faces pectus, facundia linguam*
Dum superus tetigit carbo labella senis:
Ecce alius Carbo cœlesti accensus ab igne,
Aetheriam in scriptis spirat, alitque facem.
Hæc tu siue legis, fida siue accipis aure,
Et linguam, & pectus dius aduret amor.

IOAN. PETRI SIGNORINI
Academici Parthenij.

Si quis amat vitam, si quem sapientia tangit,
Hoc de fonte sacros ebibat ille sales.

His

His etenim ſcriptis veræ ſapientia vitæ
Occulto quondam cortice clauſa patet.
Aemulus antiquo nimirum poma parenti,
Securus noſtro fonte rigata leget.

EIVSDEM.

Eſſe quid vtilius poſſit, quid honeſtius omnes
Scire homines toto pectore ſemper auent.
Vtilis ecce tibi liber, & profertur honeſtus,
Hoc magis vtile, te quo magis vrget opus.
Quippe neceſſariæ repetit compendia vitæ,
Qua ſine, lector, honos vtilitasq; perit.

IACOBI FIANII DVBLINENSIS Hyberni Academici Parthenij.

Arbor in Elyſio quondam ſata dicitur horto,
Vim cui mirandam conditor indiderat.
Illa daret viridem ſenibus reuocare iuuentam,
Perpetuo vitam ducere & illa daret.
Arboris in morem fœlix ſapientia ſurgit,
Vis mirabilior, fructus amabilior,
Nempe malum, ſenuit quo mens, fugat, atq; perennem
Dat vitam, ætatis flore dat vſq; frui:
Illa potis terris, potis hæc dare viuere cœlo,
Hæc animo vitam, corpori vt illa, dabit.
Poma legas, ſenium ponens, iuueneſcere qui vis:
Qui cupis æternum viuere, poma legas.

EIVSDEM.

Quisquis aues vbi vera fluit ſapientia, noſſe,
Eius & exoptas ſumere fontis aquam;
Huc ades, euoluas quæ Carbo volumina condit,
Carbo corruſcanti lumine munit iter.
Hoc duce vitales latices haurire licebit,
Et ſubito ſapiens, hoc duce, verus eris.

NICOLAI CAMANI
Academici Parthenij.

Si iuuat optatos nimium perquirere fontes,
Vt ſicco liceat pellere ab ore ſitim.
Lubrica quid prodeſt humiles per gramina fontes
Viſere? mortalis non leuat vnda ſitim.
Huc veniat ſitiens, greſſus huc dirigat, hic fons
Vertice vitales fundit amœnus aquas.

LECTORIS, ET AVCTORIS
dialogiſmus,

De ſuis Academicis Parthenijs.

Parthenij tam caſta canunt cur carmina vates?
Caſta mente colunt Virginis imperia.
Hæc eadem, lector, caſto tu pectore ſerua;
Atque eadem, credas, carmina caſta canes.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTÆ
Bellauerij.

Qui in tenebris erras trepidans formidine mortis;
Ad vitam lucem si cupis, atque viam;
Candida peruoluas Carbonis scripta diserti,
Hinc iter ad cœli lucida regna patet.

MVTII SFORTIÆ.

Cur ceu Penelopes sponsi vos, turba sophorum,
Quæritis ancillas, nec petitis Dominam?
Arce sedet celsa sapientia dia, domoq;
Quæ septem fulcris fulta superba micat.
Huius si cupitis penetralia sacra subire,
Sacrumq; aspectum cernere, & eius opes
Accipere, & paucis manifesta arcana docentem
Mystica, & ars etiam quanta sub hisce latet,
Vos introducet Ludouicus, fidus amansq;
Illius æditnus, ianua cuique patet.
Vestra per anfractus tutum vestigia filum,
Ac ceu fida manus vos reget huius opus.

EIVSDEM.

Quid vobis foditis cisternas vndique fractas?
Vnda quibus desit; nam subito inde fluit.
Nec petitis fontem, a quo manat vita perennis,
Qui potis est vestro pellere ab ore sitim?
Quantas hic habeat vires, quid conferat, & quid
Intus agat, morbos quot fuget ex animo:

En libro docet hoc Ludouicus, aquasq; resignans,
Haurit, & inuitat, qui sitit hasce bibat.
Porrigit hos vobis sapientia dia, venite,
Qui bibere has refugit, certa tenet rabies.

B O R G A R V T I I
a Borgarutijs.

Fons vitæ Deus est, Fons est sapientiæ & idem:
Viue Deo, & viues: viue Deo, & sapies.
Cætera sunt meræ nugæ, merique iocique:
Post obitum restat nil, nisi facta probe.

M. ANTONII IO. BONI.

Sole sub ardenti quisquis requiescere quæris,
Molliter ad ripam prætereuntis aquæ:
Huc ades, atque hunc ex Paradisi flumine fontem
Libatum irrora vestibus, & capiti.
Hinc bibe: pelle sitim hinc, sities non amplius, atq;
Sic tibi iam cœptum lætus iter perage.

IACOBI ROSSETTI.

Vt decori fons est platano; platanusque vicissim
Fonti, altoque procul vertice monstrat eum:
Fonte libellus erit spectabilis, ipse libello
Fons simul, & mutua carus vterque vice.
Fons sacer est, cœlique sacra sapientia inundat;
Et sacer est, ad eum qui vocat, iste liber.
Ergo mortales, Sophiæ qui fontis egetis,
En vobis index iste libellus erit.

MARCI

Vt sitiens quærit fontes per deuia ceruus,
Vt longam sicco pellat ab ore sitim.
Sic vos, quos ingens tenet ardor magna sciendi,
Ad fontes sacros currite dulcis aquæ.
Huc properate citi, nam vos Deus aduocat ipse,
Ipseque dat vobis pocula sacra manu.
Post hac non sitietis, eritque in pectore vestro
In cęlum viuæ fons salientis aquæ.

PALMERII SCARDANTIS.

Sacræ exoptarem Scripturæ dicere laudes,
Si daret ipsa mihi scandere laudis iter.
Carminis ornatu nostri non indiget vllo,
Quod natura parens ingeniosa dedit.
Funderet omne decus cantu Sulmonis Alumnus,
Si laudum miris cresceret illa modis.
Si tentaret idem sublimis Musa Maronis,
AEquoreis vndis addere vellet aquam.
Sed laudis quicquid cantari posse videtur,
Docti Carbonis pagina culta canit.

GRATIÆ MARIÆ GRATII
Extenuati Philomathi.

Terrenis quiquunque epulis aßuetus, & vndis,
Non nisi terrenas aduena quæris opes;
Aethereas scrutare plagas, cœlique recessus,
Et nihil æthereo te magis orbe iuuet:

Ecce per insolitos calles, perque inuia CARBO
Lucidus effuso lumine monstrat iter;
Adspicies primo labentia flumina fonte,
Et stabili æternas conditione dapes:
Mox vbi gustaris; non te fortasse pigebit
Protinus insuetos edere voce modos.
Terrenæ procul este epulæ, procul este profana
Flumina, neglecto sordidiora fimo;
Ambrosiæ, sacrique tenent me nectaris haustus;
Hic satur esse volo, si satur esse queo.

EIVSDEM.

Qua tortuoso fons vagus ambitu
Errans, strepentes ad nemorum comas,
Poscat fatigatos susurro
Per lapides salientis vndæ,
Fessus latentem visceribus premens
Ignem grauato Ceruus anhelitu
Fertur, salutari furentem
Vt reprimat fluuio calorem:
Nos æstuosas deterioribus
Flammis gerentes pectoribus faces,
Ductu perenni prodeuntes
Vertice sidereo liquores
Vitemus? Ipsos & sapientiæ
Cœlestis amnes, vnde animis vigor,
Et vita nostris, luctuosis
Vnde venit medicina morbis,
Temnamus ægræ sollicitudinis
Errore capti? Sit resipiscere,

Sit

Sit cura tandem, mollibusque
Pellere funereos medullis
Ardoris æstus: En sacra riuulis
Diducta sacris flumina: Currite,
Haurite quisquis, feruidasque
Ad latices cohibete flammas.

EIVSDEM.

Vreris insano scelerum furiosus ab igne?
En tibi sidereæ, quo recreeris, aquæ:
Errorum gelidis torpes quoque frigidus vndis?
En tibi sidereæ, quo foueare, faces:
Temperat ignis aquas, & aquis extinguitur ignis;
Auxiliumque ferunt ignis, & vnda tibi.

SALLVSTII GRATII.

Congerat extremo gemmas Oriente petitas,
Qui cupit, atque Arabum vincat auarus opes;
His ego cœlesti natos Oriente lapillos
Anteferam, veras & pietatis opes.
Qui caret his Iri mihi semper egentis imago,
Qui fruitur, Croesi diuitis instar erit.

EIVSDEM.

Quid iuuat impuris haurire e fontibus vndas,
Si quo plus potæ, plus sitiuntur aquæ?
Hoc latices bibite æternos de flumine, poti
Qui semel, extinguunt tempus in omne sitim.

AN-

ANDREÆ VICTORELLI
Bassanensis Seminarij Gregoriani Ecclesiæ D. Marci Venetiarum Clerici.

Concipere æterno solis miramur ab igne
Semina perpetuæ fertilitatis agros;
Atque hic ridenti frondescere germine siluas,
Hic patulis campos luxuriare comis:
Cumque animi ad sacræ radiantia lumina legis,
Ornatu pingi nobiliore queant;
Et dare centuplici promissos fœnore fructus,
Sat bene regales queis superentur opes;
Negligimus: Da tu, sol ò clarissime, lucem,
Excipiant tandem pectora nostra tuam.

EIVSDEM.

Mercator properet, frigus patiatur, & æstum,
Ut fluxas auido pectore quærat opes;
Ante oculos positos, nulloq; labore parandos
Sacrarum cumulos nos renuamus opum?

VITI VIVOLI EIVSDEM.
Seminarij Clerici.

Ut primum abrasus liquit Sansona capillus,
Hostibus occurrit præda cupita suis:
Sic quos æthereæ sapientia liquerit oræ,
Hostibus occurrent obuia præda suis;
Nec laqueos manibus rumpent; sed lumine capti,
Pro stolida pœnas credulitate luent.


OCTA-

OCTAVII FERRI EIVSDEM
Seminarij Clerici.

Isacidum simul omne inter spelæa ferarum
Errasset miserum nocte, dieque genus;
Melle nec Hyblæo riuos, & lacte fluentes,
Promissam toties nec tetigisset humum:
Sed Deus igniuomam iussit præcedere nubem,
Ignotasque data prodere luce vias:
Nec minus obscura tenebrosæ noctis in vmbra
Deuius ignotum tendere perget iter,
Quem nubes, quem nata alto sapientia cęlo
Non iuuet, ac nitido lumine flamma regat.

ANDREÆ RABAGNII EIVSDEM
Seminarij Clerici.

Dum Iuuenis funda, plectroque insignis eburno
Tangeret argutæ fila canora lyræ;
Infrænes posuisse iras mens cæca Saulis
Creditur, ad sacros & requiesse modos;
Nos furijs tamen, atque oestro grauiore subacta
Pectora, Tartarea sollicitata face;
Ad numeros, ad nulla sacri modulamina iuris,
Exsuere hos animos, hæc fera corda iuuet?



HIE-

HIERONYMI NOVELLI
Congregationis Somaschæ, Satyra.

Quem mihi Aristotelē? quæ digna volumina cedro
Socratis? & turpes Epicuri attollere libros
Mendax eloquio fallaci Græcia gestit?
An non illi hominum mentes caligine cæcæ,
Et varijs animos erroribus implicuerunt?
Nonne illi ingressi caulas de more latronum,
Diripuere gregem Domini crudeliter omnem?
En misero hic pecori pro viuo, ac diuite puri
Fonte boni arentes latices, & noxia miscet
Pocula damnosæ Veneris perfusa venenis.
Ille autē in loca senta rubis, iugaq; horrida dumis
Raptat oues; lanæ immeritis lacerantur, & artus.
Quandoquidem non iam cęlestis pascua campi
Annuit, aut colles superum, sedesque piorum:
Fidere humo, gemma bibere, inuigilare repostis
Thesauris, ostroque tegi, byssoque nitenti,
Hunc statuit vitæ finem, metamque beatæ.
Ecce alius iustis proponit præmia factis
Fastosas lauros populi, regumque coronas:
Nescius, heu, regna occidere, atq; arescere lauros.
Est & qui sese virtutis semina veræ,
Atque iter inuenisse tumenti codice iactet;
Incautosque diu patriæ dulcedine linguæ
Lectores tenet, & vacuis eludit aristis.
Quid tibi nunc Cynicosq; feros, & dogmata duri
Zenonis cantu memorem? immitesque Catones?
Inseuit natura parens, sator ipse parenti
Naturæ varios humano in pectores motus:

At Zeno egregium sapientis fallere nomen
Hirsuta doctus barba, incomptoque capillo:
Diductisq; oculis, ad frontem, & sydera dextro
Sublato, presso ad terram, mentumq; sinistro,
Naturamque, Deumque insano corrigit ore.
Nusquam lætitiam, nusquã gemitũq, metumq;,
Spemq; feret, quem iam virtus in sede locarit.
Hæc plebem, stultumq; tenent contagia vulgus.
Aut flebit paruus, genitrix cui dura negarit
Vbera, vel crudo natorum in funere mater.
Vt te pulchra suo sistat sapientia cliuo,
Exue mansuetos animos, & mitia corda;
Et silice, aut duro firmes præcordia ferro.
Ne te confectus senio, morboq; fameque
Tangat inops, dum labenti suprema senectæ
Auxilia implorat lacrymis, & poplite curuo.
Dat pater indignas ficto pro crimine pœnas,
Tu raptis catulis Getula sæuior vrsa
Spectabis sicco morientem lumine patrem.
Barbarus incendit patriam, atq; altaria Diuum;
Impia tranquillo cernes incendia vultu.
Zeno quid insanis? Hominẽ quem tollere ad astra
Fas erat, & superis pietate æquare docendo,
Informi trunco similem, brutisque minorem
Efficis? atque tibi fidentem inuoluis Auerno?
Infelix genus ò pecoris, cui contigit horum
Stulta magisteria, & voces haurire nocentes.
At nos felices, Genitor quibus aurea quondam
Decreta, & Natum claro demisit olympo.
Quã gratus dux? quãq, bonus fuit ille magister?
Ille ouium pastor facilis, tutela, salusque

Vera

Vera gregis, medicusq; animæ fidissimus ægræ:
Qui postquam ingenti descendit ab æthere cursu,
Explicuitque Patris diuina oracula terris,
Nubila nox, crassæque animis fugere tenebrę.
Quin & vulneribus, rabies quæ sæua luporum
Intulerat pecori, frustra balantibus agnis,
Ipse manu medica, cœlique potentibus herbis
Attulit auxilium: desertos deinde per agros
Dispersas reuocauit oues, tectoque reduxit.
Tum primum obstructi patefacta est semita veri,
Fraudesque, insidiæque, et opertę Dęmonis artes.
Tum demum puteos veterum, fędasque lacunas
Fugimus, & latices haurire e flumine sancto
Cępimus, & Christi vitali assuescere fonti.
Hic verò Fontis titulo, vitæque libellus
Insignis, nomen merito deduxit ab illo:
Cuius inexhausta erumpens hoc tempore vena,
Leniet indomitos ardentis pectoris æstus:
Imo aditus primi signantem ad gurgitis vrnam
Si sequeris, grato primi te margine sistet.



DE

DE ÆTERNA DEI SAPIENTIA
Iosephi Phadij Seminarij Veneti Patriarchalis alumni,
Ode.

Constantis heros ille animi, & fide
Fratres benignæ notus in asperos,
Penuria accisis vbi escis
Egit atrox Pharios auitis
Mutare fines, blanditias heræ
Dum peruicaces negligit abstinens
Suadentis incestos amores,
Atque manus fugit insolentes,
Damnatus atri carceris, integer
Quamuis & insons, cruraque compede
Dura reuinctus forte vitam
In tenebris poterat per omnes
Traxisse menses, ni sapientiæ
Consultus almæ temporis anxio
Arcana regi vnus futuri
Consilio facili expedißet.
Ipsa & profundi pertinet ætheris
Tractus in omnes, & trucis æquora
Ponti, pigramque terram, & orbis
Cuncta regit stabili vsque lege,
AEterna, summoque aßimilis patri
Fæcundæ imago mentis, & ipsius
Naturæ origo, vique, & instar
Principio sine, terminoque.
Lux grata terris, aurea lux nigris
Clarum refulgens in tenebris diem,

Purusque inexhausti nitoris
Lumine fons oriens perenni.
Cunctis vt albus Lucifer ignibus
Micat sereno splendidius polo
Per sudum, vt ipse Solis infra
Auricomum iubar est rubentis;
Lux cætera omnis sic sapientiæ
Decedit (æquum est si peritura mox
Componere æternis) supremæ
Lumine, principio quod orbes
Cœli nitentes ex nihilo extudit,
Et clara puræ cornua Cynthiæ,
Vitasque diuersas ferarum,
Atque hominum genus, & volantum.
Quid ergo certis pro studijs magis
Insanientis falsa scientiæ
Decreta sectamur nefasti?
Materiam scelerisque summi
Gemmas, & aurum quærimus? Omnia hæc
Labuntur eheu, quam cito mobiles
Deperdit arbor ante frondes,
Prataque purpureos colores.

ALEXANDRI GATTI
eiusdem Seminarij Alumni.

O fatum miserabile, atque acerbum,
Dignum fletibus, heu nimis solutis,
Dignum cui lacrymæ fluant perennes,
Fusæ mæsta per ora, perque pectus.
Humanum genus omne peruicaci

Astu,

Astu, blanditijs, iocis, rapinis,
Fictionibus impijs, pudendis
Illectum rapit ad profunda regna
Infernæ stygis, atria, & paludes,
Orci bellua dira monstruosi:
Illa, inquam, miseri orbis inquinatrix
Serpens, quæ auricomæ arboris Parentes
Primos carpere poma suasit audax;
Has mortalibus attulit ruinas,
Dum cęcos labefactat, & Deorum
Fictis lusibus inquinat, venenum
Tetrum melle linendo fabularum.
Quæ dementia vos agit misellos?
Quisnam vos sopor vrget? An videtis
Quibus vorticibus, quibus procellis
Vos tantæ implicuere fictiones?
Cęci progenies nefanda Patris.
O tandem laqueos refringite istos,
O tandem pedicas videte tantas.
En vobis modus vnus, his reiectis,
Aquis ora rigate de Sophiæ
Haustis fontibus, & periculosas
Vitetis, stygij dolum Tyranni,
Fabellas; miseri. O probrosa dictu,
O vafrum scelus, o dolosa verba.
Pactoli haud nitido beabit auro
Vos pellucida lympha fontis huius,
Aut gemmis vitreo sub amne celat,
Quas flauis Tagus exiens arenis
In vastum pelagus, sonante fluctu.
Isthæc vnius æstimantur aßis.

Aquæ flumen amabile, & beatum
Sed fiet salientis aurea ad astra,
Vbi perpetuo fruamur æuo,
Vbi continuis iocis vacemus,
Vnde nos trahere ardet, his repertis
Fictionibus impijs, pudendis.
Orci bellua dira monstruosi.
O fœdißima, & indecora dictu,
O vafrum scelus, o dolosa verba,
O fatum miserabile, atque acerbum.

EIVSDEM.

Hactenus impuras miseri libasse paludes,
Et tinxisse graui sit satis ora lacu.
Quem portentificis serpens perfusa venenis
Inficit, & stygijs impia miscet aquis.
Huc vero, huc: istis haurite e fontibus, hausta
Hæc quoniam æternum viuere lympha dabit.

IACOBI VVLTOLINI
eiusdem Seminarij Alumni.

Subductum nitido fraudibus æthere
Ignem, cum rudibus gentibus intulit
Audax ardua quæque
Tentare Iapeto satus,
Vitæ mox homines carpere lumina
Cæpere, & varijs febribus opprimi,
Cunctis deinde tulere
Quæ tantum ob facinus necem:

At

At cum flammigeris prodijt hic liber
Astris, perpetuo lumine perfrui
Mortali dedit omni
Cura, & tristitia procul,
Hoc ergo potius munus amet, mala
Quam terris varij furta Promethei,
Quisquis ducere longos
Optat cum superis dies.

IOANNIS MARIÆ SPADONI
eiusdem Seminarij Alumni.

Lucida quæ a lætis Paradisi labitur aruis,
Quattuor inque sinus vnda reducta fluit,
Obscura hic reserat diuinæ arcana Sophiæ,
Quæ ceu lympha alti manat ab arce Poli:
Prouidaq; in toto terrarum se inserit orbe;
Ex quo vitalis omnibus humor inest.
Anxius ergo animo quisquis sitit abdita rerum
Huc petat, & latices hauriat ore sacros.

VINCENTII CONTARENI
eiusdem Seminarij Alumni.

Quid iuuat ignotas, optantem discere, gentes,
Quæq; inimicus habet barbara regna sequi?
Quid iuuat agricolam vano indulgere labori,
Ac tardos stimulo sollicitare boues?
Quid iuuat incertas per aperta pericula vitæ
Si quæras partis non fruiturus opes?
Hæc lege doctus eris, pastus; diuesq; docebit
Pascet, ditabit te, studium, esca, labor.

IOANNIS BAPTISTÆ FOLLI
eiuſdem Seminarij Alumni.

Ne viridi exornet quiſquam mihi tempora lauro,
Neue mea Aonio proluat ora lacu,
Hermus ne auratam voluat ſub gurgite arenam
Ne mihi Pactoli diuitis vnda fluat.
Dum, quæ ſollicitat mentem veſana ſciendi,
Hoc poßim vitæ pellere fonte ſitim.
Ditior hic Hermo, Aonioq; potentior amne,
Hæc vna Hybleis dulcior vnda fauis.

DOMINICI BERTACCII
eiuſdem Seminarij Alumni.

Huc propera quicunque ſitis, quicunque perennem
Exoptas vitam, Neſtoreoſq; dies.
Hic etenim celſis fons eſt, qui manat ab aſtris,
Cuius ſola poteſt Lympha leuare ſitim,
Et dare quo longum ducas feliciter æuum,
Quod tibi nulla dabit diuitis vnda Tagi.
Dum potes, hunc igitur cęleſtem conſule fontem,
Dulcior hoc rutilis non erit Hærmus aquis.

AVRELII AVGVSTINI SCOTI
eiuſdem Seminarij Alumni.

Quo properas? hic ſiſte gradum, ſi te igneus ardor
Vrit, & infractum torret anhela ſitis;
Alliciat ne te mendax Permeßidos vnda:
Confictis fauces non ſatiantur aquis.

Fons

Fons fluit hic Vitæ, tali ne pectora Lympha
Proluis, æterna morte peremptus obis.
Vera tibi hic puris manat Sapientia riuis,
Hanc quoque si fugias, nil (mihi crede) sapis.

EIVSDEM.

Heus homo, si audaci decerptum ex arbore malum
Fauce vorans moreris; hic bibe viuus eris.

ANDREÆ STELLÆ
eiusdem Seminarij Alumni.

Cedite melliflui iam ficti cedite fontes,
Verior hoc nullus, dulcior atque viget.
Exiguus vobis liquor est, & turbida Lympha,
Ast vitreis, magnus fons hic abundat aquis
Ille iterum sitiet, vestra qui proluet vnda
Ora, sed is nunquam, qui bibet huius aquas.
Huc igitur properans, hinc dulcia pocula sumat,
Qui cupit ardentem pellere ab ore sitim.

GASPARIS FARINATI
eiusdem Seminarij Alumni.

Mortales quæ cura nefas quæ tanta cupido
In vetitum contra iusq; piumq; fuit?
Aut quænam vestras egit dementia mentes
Arboris auricomæ carpere poma manu?
Scilicet æternam secura per otia vitam
Omniaq; aspectu clara futura suo.

Falsidico mendax promisit pectore serpens
Omnia fallaci peruigil arte tegens.
O fortunatam nisi mens tunc læua fuisset
Progeniem, o tanto gens labefacta dolo.
Forsitan & lucis etiam fruerere beatis
Nec tam solicitis anxia vita foret.
At vos si qua mouet veræ pietatis imago
O tanto assueti crimine dura pati.
Huc properate pij veteris contagia culpæ
Abluite, atque nouo fonte piate nefas.
Horrificis hic non serpens imbuta venenis
Lethalisq; cibus insidiæq; procul.
Hic dabit adiunctam Sophiæ traducere vitam,
Hic non polliciti pignora falsa feret.

SANCTI MACCAFERRI eiusdem Seminarij Alumni.

Certum mundanam quod si gustaueris vndam,
Sæuiet indomitis in te iterata sitis
Viribus, at non arescentes premet arida fauces,
Vt semel hic dulcis tinxerit ora liquor.
Ergo, vtcunque cauum sitis aspera guttur adurit,
Ebibe cęlestes, protinus ebibe aquas.

BARTHOLOMOEI NARDI.

Conciperet tellus vt semina, fontis Eoi
Quadrifido fluxit vitreus amne liquor.
At quo concipiat cęlestia semina pectus,
Fons fluuios rursus quattuor vnus habet.

Nectareo primi qui tinxerit ora liquore,
Hic sapiens alta sydera mente petet.
Viuis alter aquis vbi quem perfuderit, illi
Cælicolas inter vita perennis erit.
Tertius est albus, liquidis argenteus vndis,
Cana fides huius sacra fluenta tenet.
Igneus est quartus, feruentem temperat amnem
Pectora qui sanctis ignibus vrit amor.
Qui cupit æternum cęlestis viuere, viuas
Has properet viui sumere fontis aquas.

EIVSDEM.

Quid iuuat ardentem dulci restinguere riuo,
Et nitido tristem sistere fonte sitim?
Nam redit hæc iterum miseris mortalibus, atque
Faucibus vt primum defuit humor, adest.
Ne sitiant vnquam rapidis feruoribus ora,
Hoc madeant sacro fonte perennis aquæ.

IOANNIS PETRI FERRARII
Clerici regularis sancti Maioli
Papiæ.

Qui res, & varias rerum perquirere causas,
Lenibus & studijs, inuigilare cupis.
Huc ades, hoc plenis manat sapientia riuis
Fonte, cito hæc animi temperat vnda sitim.
Quæ nec Socraticis sunt vnquam prodita chartis,
Nec magnus potuit noscere Aristoteles.
Impiger admoris si lymphæ, huic protinus ora,
Percipies votis non minor ipse tuis.

EIVSDEM.

Fons erit hic liber & dulcis Sapientia potus,
Quæ tibi perpetuo fonte ministret aquas.
Fons erit hic summæ, tibi quo se lucis origo,
Ostendet tandem secula longa frui.

PHILIPPI TINELLI.

Vt viridans arbor plantata ad fluminis vndas
Dulcia producit tempore poma suo.
Sic tu si ad sacri fontis requieueris vndam
Cęlestes fructus vndique, & vsque feres.

EIVSDEM.

Mortales miseri, quæ vos dementia cepit,
Vt fontem viuæ desereretis aquæ?
Iam sapite, & reuocate pedes, & linquite tandem,
Flumina despecto sordidiora limo.



in ſacram Theologiam.

Οἴμοι τίπτε ἐπισπερχῶς πλανώμεθα πῶροι
  Φρεδῶν ἀτρυγέτῳ ἐν ἁλὶ φραδμοσυνῶν;
Ἢ νὶ θεηγορίᾳ ἡμεῖν ἑὰ πάντα δίδωσι.
  Εἴσετι μειόφρονες τίπτε χρονιζόμεθα;
Τίπτε φρενοβλαβέες τόσον περιόπτομεν ἐσθλόν;
  Τίπτε θεὰν σεμνὴν οὐ περιδραπτόμεθα;
Θῆς ἀνου ναυκλήρου, ὃς αἰγίσι ταῖς φοβεροῖτοις,
  Ἐν ταῖς χειμαθεὶς χοιράσιν ὠλυγίοις,
Οὐ πλέει, ὡς ἐνόν, ὡς τάχος ἐς τὸν ἐνώπιον ὄντα
  Κἀγγύθι εὐδίοδον λιμένα ἀμφίδυμον.

EIVSDEM.

Ὅσον τοῖς ὄφλομεν θείοις, ὅτι πότνια μῆτερ
  Δῶσι σε θνητοῖσιν δῖα θεηγορία.
Ἣ γὰρ γῆ μιαρὸν κωκύτου γίγνετο κλίμα,
  Σοῖο χάριν, γίνεται χωρίον οὐράνιον.

EIVSDEM.

Τοῖσι βροτοῖσι θεῶν βασιλεὺς χαρίσματα δῶκε
  Νήριτα ἀλλοίων ἠδὲ μέγιστα χρόνων.
Ἀλλ᾽ ὅτε δῶκε θεηγορίαν, τότε δῶκεν ἑαων
  Πάντων ὕψιστον. δῶκε γὰρ αὐτὸν ὅλον,
Τοῦδ᾽ οὐδὲν μεῖζον δοῦναι θεὸς ἐστὶν οἷός τε:
  Οὐδὲν μεῖζον ἀγνεῖν ἐστὶν οἷός τε βροτός.

IOANNIS DOMINICI
Traiani Neapolitani.

Κευθόμενος θησαυρὸς ἀχρήιος, οὐδὲν ὄνειαρ
  Γνώσιος ἀγνώστου, καίπερ ἐρικτεάνου.
Πολλή σοι πυκινοῖο βίβλου χάρις ἔμπυρε Κάρβων,
  Λάμψας ἐπεὶ σοφίης πίδακα ζωονάου.

LVDO-

LVDOVICI CARBONIS
in suos amicos, qui veram sapientiam suis carminibus laudarunt.

Hi veri vates, sacroq; hi numine tacti,
Veræ qui Sophiæ carmine sacra canunt.
Non fictos Diuos, cæcosve cupidinis ignes
Dicunt, nec mentis somnia vana suæ.
Vt faciunt vulgo impuri, vaniq; poetæ,
Quorum sunt dignis carmina danda focis.
Hi veri vates, nam vatum regna priorum
Conseruant, verùm qui cecinere Deum.
Vos etenim canitis ter sancti oracula Regis,
Dicitis & studijs esse colenda pijs.
Vos hominum pectus diuino incenditis igne,
Et cęcas nubes pellitis ex animis.
Vos ergo Sophia ornabit sanctissima lauro,
Atque inter ponet sidera clara poli.

EIVSDEM IN SVOS AMICOS,
qui contra ipsius voluntatem, eius nomen in suis carminibus posuerunt.

Nomine cur tetro chartam nigrastis amici?
An quod nulla ardens lege tenetur amor?
Quas amor hic pœnas: sua, quid sic, carmina nigrat?
Cum fuerint semper candidiora niue?

EIVSDEM IN EOSDEM.

Carbonis nomen dum albi cantastis olores,
Fœdauit tactu corpora vestra suo.
Qua culpa dignus? nulla: namq; ipse negauit;
Et placuit vobis iungere disparia.

EIVS-

EIVSDEM IN EOSDEM.

Quid carmen nequeat? dictu mirabile; nanque,
Quod natura nequit, versibus efficitur.
Nunquam colluxit Carbo: atqui carmine vestro,
Nigro Carboni lumina clara datis.

EIVSDEM LECTORI.

Hunc verum, viuum, sapidumq; accedite fontem,
Et sapere, & vere viuere qui cupitis.
Hic etenim vera est vita, & sapientia Christus;
Quo sine non poteris viuere, nec sapere.

EIVSDEM.

Quisquis es enectus longa esurieq; sitique,
Dum patria pulsus per loca sicca petis:
Huc propera ad petram, prædulceq; collige manna;
Nanque famem hoc tollit, sedat & illa sitim,
Ergo, si satur esse cupis, sit semper vbique
Diuinus codex panis & vnda tibi.

EIVSDEM.

Si dirum semper cupis hostem vincere, semper
Dauidis in promptu sit lyra, funda tibi.
Nanq; sono, & saxo cito palma acquiritur illa,
Quam solum sacra his charta notata dabit.

EIVS-

EIVSDEM.

Lętitia cor nostrum vinum & musica complent:
At Sophia ambobus gaudia plura creat.
Id sapiens docet. ergo, ni vis stultus haberi,
Hoc vnum quæras, cætera læta fuge.

EIVSDEM.

Qui sitiunt properent: huc, huc accurrite cuncti:
Cella patet cœli, dat Deus hic bibere.

EIVSDEM.

Qui vult dux, lux, & sal terræ euadere, sacram
Is capiat legem pro duce, luce, sale.

EIVSDEM.

Quem petis & Deus offert panem perpetuò, & quò
Semper eges, sume, & contere perpetuo.

EIVSDEM.

Qui bibit terræ latices, is ęstum
Comprimit nunquam; veluti marinos
Si bibat fluctus, quibus ardor ingens
Pectore crescit.
Ergo nos cœli latices bibamus:
His enim noster reprimetur æstus
Omnis, & nostris refluet perennis
Cordibus vnda.

FINIS.

INDEX CAPITVM.



Finis Indicis Capitum.



FONS VITÆ,


ET SAPIENTIAE,

Vel

AD VERAM SAPIENTIAM ACQVIRENDAM HORTATIO.



Quæ sit huius operis subiecta materia, & qui scopus. Cap. I.



T si multis maximisq; de causis optimus ille Pater, a quo omnia proficiscuntur bona de hominum genere ab ipso vsq; mundi exordio multum, & sæpe conqueri iure potuit, ac etiam conquestus est; nunquam tamen vlla alia de re magis, ac sæpius, quam de animi ingrati vitio: idq; ea de causa, quod munificentissimo parenti hæc turpissima labes,

Iacob. 1.
Deut. 32.
Tertul. cõtra gẽtes.

labes, vt quæ eius largiſſimas manus impedit, ne ſua in nos copioſius effundat bona, magnopere diſpliceat. Inter cætera autem beneficia ingratæ naturæ in obſcura inſcientiæ noctæ verſanti, & in tenebris ignorantiæ iacenti a ſummo benignoq; Principe conceſſa, illud multo maximum fuit, quod occulta ſuæ ſapientiæ myſteria, quæ non Angeli, non Archangeli, non Poteſtates, nullus denique humanus, aut cœleſtis ſpiritus vnquam cognouerat, ſcripturis a ſe inſpiratis, immo ſua etiam manu exaratis, reuelare voluerit. Quarum ſcripturarum ſtudium, cum beneficentiſſimus Pater ab improbis, & ingratis filijs non tanti fieri, quanti profecto deberet, immo a non nullis etiam negligi videat; hinc eſt, quod apud quendam Prophetam hiſce verbis, grauiſſime conqueritur: Obſtupeſcite cœli, & portæ eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas; ciſternas diſſipatas, quę continere non valent aquas. Ac ſi dixiſſet, me, meamq; ſcientiam, in cuius notitia eorum vita ſita atque collocata eſt, abiecerunt, & quaſdam doctrinas, quæ nihil veræ ac perfectæ ſapientiæ continent, quæ nihil, aut certe parum vtilitatis afferunt, ſibi inuenerunt. Res itaque admiratione & maximo ſtupore digna eſt, quod homines ipſum viuum æternæ vitæ fontem, ipſamque beatæ vitæ effectricem ſapientiam relinquant, & ſolum turbidos & exiguos humanæ doctrinæ conſectentur riuulos. At vero

Pſal. 50. 1. Cor. 2. Ier. 2. Ioan. 4.

ro alio in loco, cum mirum in modum amantissimus Pater cupiat, vt aquis e cœlo fluentibus sitientem expleamus animum, his amantissimis grauissimisq; verbis ad ipsas etiam aspides excantandas idoneis, ad purissimos & perennes suæ sapientiæ fontes nos ingratos filios efficacissime inuitat: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate: emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Verum, etsi tanta sit in studio diuinæ scripturæ, sacræq; Theologiæ voluptas, & vtilitas, cum summa dignitate coniuncta, quantam nulla dicendi vis oratione exprimere, aut humana mens cogitatione complecti vnquam posset: tamen, ita multorum ingenia, & præsertim quorundam, qui dies noctesq; christianam philosophiam tractare deberent, erga hoc diuinum studium parum sunt affecta, vt cuique potius arti, etiam infimæ, quam huic cœlesti sapientiæ operam sibi dandam esse arbitrentur. Vt interim eos missos faciam, qui otio vitiorum omnium teterrimo perpetuo hebescunt, & marcescunt; eos inquam, qui, vt cum Bernardo loquar, accipiunt curas, vt viuant sine curis. Qui omnes, vt arbitror, obturatis auribus illud quotidie legendo percurrunt, quod initio summæ totius sacræ doctrinæ legitur; Eum esse beatum, qui improborum ac corruptorum hominum consortio relicto, vitijsq; declinatis, erga diuinam legem propenso est semper animo, eamq; diu noctuq; meditatur,

Isa. 55.
Eccl. 51.
Bernar.
Psal. 1.

ditatur, & colit. Mirum itaque eſt, & pene incredibile, quod ij, qui integros annos hunc locum legunt, quo, vel vno quiuis ad rerum diuinarum cognitionem vehementer inflammari poſſet, ac deberet, ſacrarum literarum intelligentiam acquirere non ſtudeant; ne quod toties non intelligenter repetunt, tacita quadam ratione negligere videantur. Id autem ex eo fieri exiſtimo, quod hi omnes aliqua fortaſſe ſpiritali ægritudine affecti, ſpiritalem guſtum habent deprauatum; ac proinde ſuauiſſimi cibi, quem quotidie ore & lingua tractant, ſummam ſuauitatem minime percipiunt. Quam profecto percipiebat is, qui huius dulciſſimi mannæ ſuauita-
Pſal. 118. te guſtata, in hanc admirationem prorupit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo: hoc eſt, vere ori meo ſunt dulciora melle. Vel certe, quia cæcutientibus vtuntur oculis, immenſam huius ſtudij vtilitatem, neceſſitatemq; non vident: quæ, is ſane vidit, qui
Sap. 7. dixit, Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei: & alio loco, Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Neque etiam eius dignitatem percipiunt, cum tamen omne aurum in comparatione ipſius arena ſit exigua: ſit ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, & luci comparata inueniatur prior. Vel denique,
Prou. 1. quaſi profundo ſomno ſopiti, grauiſſimam illam æternæ ſapientiæ vocem non exaudiunt: Vſque quo paruuli diligetis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi

ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correctionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea: & quæ ſequuntur. Qui ergo hanc diuinam ſapientiam non amplexantur, infantes, ſtulti, & imprudentes a Sapiente nominantur: quod eius vtilitatem, ſuauitatem, dignitatemq; tanquam cęci non videant, tanquam ſtupidi non guſtent, & tanquam hebetes & ignari non percipiant. Grauis morbus, & execranda calamitas, ait Caſſiodorus, diuinę legis appetentiam non habere. Nos ergo, æternę ſapientiæ auxilio, in cuius gloriam hunc laborem ſuſcepiſſe volumus, ijs qui erga hanc ſacram doctrinam male ſunt affecti, medicamentis quibuſdam, non noſtra imperitia factis, aut ex quauis vnguentaria taberna, ſed ex diuina officina ſumptis, remedium hoc opuſculo adhibere conabimur: atque eorum guſtum ſapidiſſimis ſententijs excitare, oculos aliquo artificioſo collyrio purgare, grauiſſimiſq; ſacrarum literarum, ac patrum vocibus eos expergefacere nitemur: vt tandem aliquando appetentia, quæ iacebat excitata, reuocatoq; aſpectu, melius iam affecti, ſuauitatem, vtilitatem, dignitatemq; huius diuini ſtudij percipiant, & in eo ad Dei gloriam, ad ſuam fideliumq; vtilitatem perpetuo, ij ſaltem verſentur, a quibus Deus magis ſcientiam, quam holocauſta ſe requirere per quendam prophetam teſtatus eſt. Et quamuis multi, doctiq; viri hactenus extiterint, qui hoc argumentum di-

In pſal. 106.

Oſeæ. 6.

Sap.6. ligenter tractarunt; ac etiam ipſamet diuina ſapientia hanc ſuam cauſam copioſe aliquando egerit, & omnes homines grauiſſimis ſententijs maximiſq; pollicitationibus, ac etiam aduerſus inobedientes minis, ad ſe cognoſcendam prouocauerit: tamen, cum hiſce noſtris temporibus pauci ſint, qui, vel patrum monita ſequantur, vel diuinæ ſapientiæ præceptis obediant, operæ pretium me facturum putaui, ſi quæ ab alijs, alias, hac de re dicta fuere, rurſus fidelium auribus inculcarem. Quoſdam itaque locos in hoc opere breuiter (nec enim omnes, nec copioſius tractare volumus) attingemus; quibus, quanta ſit ſtudij diuinarum literarum ſacræq; Theologiæ dignitas, vtilitas, atque voluptas demonſtrare tentabimus; vt homines a turbidis, inſipidis, & lutulentis humanæ doctrinæ riuulis, ad liquidos, dulces, & ſalutares diuinæ ſapientiæ fontes

Iſa.12. guſtandos, reuocemus: vt inde ſalutarem cum lætitia hauriant aquam. Salutares autem fon-


Lib. ad Regin. tes, exponente Cyrillo, ſunt ſancti Prophetæ, Euangeliſtæ, & Apoſtoli, qui ſuperne de cœlo, mundo effundunt aquam. Et quoniam noſtram orationem ſacræ paginæ ſententijs, & ſanctorum patrum teſtimonijs, quantum fieri per nos poterit, contexere volumus, magis de rebus ipſis, quam de verborum elegantia, atque lepore erimus ſoliciti, cum potius prodeſſe, quam delectare cupiamus. An autem hanc diſputationem aliqua ratione illuſtrauerim, & ad eam perſuadendam firma, atque certa rationum momenta adhi-

adhibuerim, viderint alij. Mihi quidem id ſatis erit, ſi, vel vnum hominem hac mea lucubratiuncula, ad veram ſolidamque ſapientiam amplexandam excitauero: vel etiam, quod omnino ſpero, meæ operæ, qualis qualis fuerit, ab æterna ſapientia mercedem aliquam accepero. Antequam autem ad rem ipſam tractandam aggredior, id vnum pium lectorem monuerim, nimirum, ea quæ de re ſuſcepta dicentur, aliquando de doctrina diuinitus reuelata, quæ in ſacris ſcripturis continetur, aliquando de ea quæ diuina oracula explicat, defendit, & amplificat, interdum vero de utraque, intelligenda eſſe; cum ex ambabus vna perfecta, & ſumma confletur, ſcientia, quæ grauiſſimo & illuſtri nomine, Theologia, vocatur: quæ nihil aliud eſt, quam rerum diuinarum ex ijs, quę a Deo reuelata ſunt doctrina. Nunc, quoniam labijs impurum, ſermone prępeditum, lingua ineruditum, viribuſq; ad rem ſuſceptam, pro dignitate tractandam, imbecillum me eſſe ſentio, æternam ſapientiam, cuius præconia, ſtudio quidem magno, quod eius eſt donum, facultate tamen dicendi parua, & oratione inculta, non dignis laudibus, ſed pro viribus elaturus ſum, oro, atque obſecro, vt aliquem mittat angelum, qui carbone ex altari accepto, labia mea purget, linguam diſertam & eruditam reddat, vireſq; ad ſuſceptum onus ferendum neceſſarias ſuppeditet. Quod ſi ex hac noſtra lucubratione aliquid vtilitatis candidus lector ceperit, ſi quid in hac pauperis in-

Iſa.6.

genij nostri mensa inuenerit, quo nutriri possit, id totum diuinæ sapientiæ omnium bonorum effectrici acceptum referat: si vero nostris legendis frustra laborauerit, si quid inconditum gustauerit, id omne nostræ imperitiæ adscribat, & veniam tribuat.

Quam male a non nullis sacræ scripturæ studium acceptum fuerit, & quæ de laudibus diuinæ sapientiæ Salomon scripserit. Cap. II.



E mihi Christianæ philosophiæ studium suadere ac laudare conanti, illud obijcere quispiam possit, quod Rhetori cuidam Herculem celebrare volenti a Lacedemonijs obiectum fuisse legimus, Quis vnquam eum vituperauit? demonstrabo initio, non defuisse impudentissimos, & maxime impios homines, qui christianam sapientiam vituperare, aut certe parui facere non dubitauerint: quod vtinam demonstrare non possem. Et quamuis hac de re longus posset haberi sermo: tamen vniuerse dicam, & pluribus omissis, multa in pauca conferam. Omitto igitur eos, qui sacros codices, vel igne, vel alijs rationibus funditus perdere sunt conati: omitto eos, qui vniuersam christianæ reip. disciplinam sacris literis contentam, non modo voce, sed etiam scriptis damnarunt: omitto eos, qui, etiam si se Christianos esse profiterentur, tamen vel vtriusque legis libros, vel alterius singulos,

Lucian.

vel

vel aliquem reijciunt, vel alicuius particulam aliquam corrodunt, vel addendo, uel detrahendo, aut mutando deprauant: quo impietatis genere omnes fere huius temporis hæretici vehementer laborant. Quare, de ijs ſolum dicam, qui, vel hoc ſtudium non eſſe neceſſarium, & vtile exiſtimant, uel aliqua ratione vituperant, aut certe minoris faciunt, & potius humanis ſcientijs, quam diuinis, operam dandam eſſe perſuaſum habent. Quidam ergo hæretici eo ſtultitiæ deuenerunt, vt ſacras ſcripturas, non eſſe legendas, & ſolum Deum ipſum audire oportere, dicant: & ſpeciatim Libertini, ab ea, peſſima qua vtuntur libertate, ſic nominati, ſcripturam diuinam irrident, & ſolum priuatum ſpiritum ſequendum eſſe putant. Quidam non minori impudentia & impietate infecti ſacram paginam tanquam inutilem, & ad ſalutem conſequendam minus idoneam, floccifaciunt, vt Dauidici. Quidam, vt fideles ad ignauiam & otium prouocent, vel potius, ut hoc diuinum ſtudium conculcent, & ſacros codices corrumpant, ita faciles eos eſſe dicunt, vt nullo ſit opus ad eorum intelligentiam ſtudio. Quo fit, vt diuinas literas omnibus tractandas ſubijciant, doctis videlicet & indoctis, artificibus omnibus, lanijs, coquis, ſartoribus, agaſonibus, ſpurciſſimis denique, ac improbis quibuſcunque ex orbis fęce maribus & fœminis: non conſiderantes illud, Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Quidam vero, ideo diuina

Hoſius li. de hære.

Matt. 7.

diuina eloquia non magni faciunt, quod non ſint artificioſe eleganterque conſcripta, & congruenti aptaq; methodo, vt ipſi arbitrantur, tradita. Et denique, ne plures errores & impietates referendo, piorum aures offendam, an non permulti reperiuntur, qui Theologiæ ſtudium vituperant, & parui faciunt? qui turpiſſimis verbis eius profeſſores impetunt, maledictis onerant, & nefarijs contumelijs inſectantur? qui ſanam ſolidamq; doctrinam adeo nihil pendunt, vt ſacrorum Theologorum libros, etiam publica pompa exurant? Mitto hoc loco quoſdam, qui licet in ſchola chriſtianæ religionis uerſentur, atque eius doctrinam inuiolatam ſibi ſeruandam putent: ita tamen ſeruant, vt eam, neſcio quibuſdam leuibus de cauſis, quas in poſtrema huius operis parte afferam, attingere nolint, nec attingendam iudicent. En igitur vt nobis nimis iuſta, nimis magna, nimis oportuna ad ſcribendum de re propoſita præbetur occaſio. Ad demonſtrandam inquam, huius ſacri ſtudij vtilitatem, cum non deſint, qui inutile eſſe dicant: ad neceſſitatem oſtendendam, cum multi parum neceſſarium eſſe velint: ad eius laudes celebrandas, cum a multis vituperetur: ad inflammandos illius colendi cupiditate, fidelium animos, cum multi ſint qui multos ab eo reuocent; aut de eo colendo parum curandum, atque ad alia potius ſtudia, quaſi cognitu digniora, & magis vtilia, atque ſecura, labores & vigilias conuertendas eſſe arbitrentur. Horum hominum errores

rores atque nefarias ſententias, quibus piorum aures non poſſunt non grauiter offendi, cum tantam exaudiant hominum impietatem erga Dei opt. max. doctrinam, quantam vnquam excogitari poſſe exiſtimaſſet nemo, in medium non attuliſſem; niſi pro certo habuiſſem, vel hac vna ratione me poſſe bonorum animos ad hæc ſtudia excitare, vt a tot iniurijs, tantiſq; blaſphemijs chriſtianam philoſophiam valeant uindicare. Vt, cum videant eam doctrinam, a qua ipſorum pax, conſolatio, inſtitutio, ſalus, ac æterna felicitas pendet, ita male acceptam, ita deſpectam, ac conculcatam, iuſtæ vindictæ ardore, pioq; odio contra nefarios homines incenſi, ſe totos rebus diuinis cognoſcendis tradant, & ſuę aliorumq; ſaluti, atq; honori diuino conſulant: quod facere nemo profecto poteſt, niſi is, qui in hoc ſtudiorum genere fuerit verſatus, & Chriſtianæ philoſophiæ vim atque naturam penitus pernouerit: ne boni Chriſti diſcipuli minus diligentes in conſeruanda, ac defendenda ſui præceptoris doctrina, quam pſeudochriſtiani in eadem oppugnanda, & deprimenda eſſe videantur. Et ſane, quis eſſet ita ignauus, ita ſtupidus, ac bardus, qui videret aliquem deijcientem, ac euertentem menſam ſibi ad famen explendam magnifice paratam, & pateretur? quis ita iners & ſtolidus, qui cerneret aliquem turbantem ac inficientem aquam ſibi ad ſitim extinguendam appoſitam, & taceret? quis ita vecors, ac effœminatus, qui hortos ſibi ad delitias plantatos demo

liri

Cant.2. liri conantem, non prohiberet? quis ita timidus, ac sibi parum prospiciens, qui vulpeculas suam vineam deuastantes non eijceret? quis denique lumen sibi ad iter in obscura nocte lubricoq; loco faciendum, datum, extinguere tentantem, non repelleret? Et christiani homines, & ij præsertim, qui aliorum docendorum curam susceperunt, aut suscipere volunt, huius vitæ lumen extinguentes, vineam & hortos Dei demolientes, aquam sapientiæ conturbantes, & mensam in conspectu nostro a Deo paratam euertentes

Psal.22. hæreticos, & improbos homines vituperantes ferent? Sed ne posthac ferant, & quam sibi ferendum non sit, & si tulerint, quantam perniciem id sibi, & toti reip. christianæ sit allaturum aperte intelligant, varijs rationibus, huius studij dignitatem, vtilitatem, necessitatemq; eis demonstrare conabor, si prius summam huius causæ a diuino spiritu olim tractatæ, ex libro sapientiæ ob legentium oculos posuero. Cum itaque

Sap.6. temporibus Salomonis diuina maiestas videret, ac præuideret quantopere humanum genus cœlesti sapientia indigeret, non solum Regi illi eam largissime communicauit, sed etiam per eum cæteros mortales ad eius studium varijs in

Prou.1. locis mirifice excitauit: & priuatim in eo sacro libro, qui sapientia, ab ea quæ ibi laudatur, Sapientia, nominatur: Vbi a sexto capite ad duodecimum vsque, Rex ille omnium sapientissimus, diuino tactus spiritu, disputationem a nobis susceptam sapienter copioseq; tractauit: ex cuius

fontibus,

fontibus, quæ dicturi sumus, fere omnia, in nostras areolas deriuabimus: ac propterea illius disputationis summam hic ponendam esse existimauimus. Primum igitur, proposito huius disputationis scopo, qui est homines ad studia diuinę sapientiæ traducere, in sexto capite, omnes mortales ad eam perdiscendam, ac speciatim Magnates, & Reges inuitat: partim incutiendo timorem, ac detrimenta recensendo, si sapientia fuerint orbati, cum sine ea suo munere recte fungi minime possint: partim maximis pollicitationibus, ac præmijs alliciendo: partim uero eius dignitatem vtilitatemque demonstrando. Deinde in septimo capite, primum docet qualis ipse fuerit antequam sapientiam fuisset adeptus, nimirum sicuti cęteri homines: qui autem post acceptam sapientiam extiterit, ex ijs liquido apparet, quæ sacra historia de eius sapientia narrat: quam tantam fuisse ait, vt vniuersus orbis eam audire desiderauerit: ad quam audiendam Regina Austri a finibus terræ venit. Deinde, 3.Reg.10.
ostendit quanto desiderio sapientiam concupi- Matt.12.
uerit, quantoq; amore eam prosecutus fuerit. Postea, exponit quanti eam fecerit: cum omnes humanas opes eius acquirendæ causa, contempserit. Ad hæc, declarat quot quantaq; bona per sapientiam fuerit adeptus: ita vt omnia bona sibi cum illa venisse dicat. Postremo, non nullas sapientiæ notas, & illustria epitheta recenset. In octauo capite summatim hanc vnam sapientiam ad quodcunq; vitæ genus degendum,
siue

ſiue politicum, ſiue domeſticum, ſiue ſolitarium vtilem eſſe docet, eiuſq; mirificos fructus percenſet. In nono, eam orationem proponit, qua a Deo totius ſapientiæ fonte, omni animi ſtudio hanc ſapientiam petiuit: eiuſq; neceſſitatem ex noſtra imbecillitate demonſtrat. Denique, in reliquis capitibus copioſe enumerat quot quantaſq; vtilitates homines ab ipſo mundi exordio ex hac doctrina perceperint, & quot quantaq; mala qui ea caruerunt perpeſſi fuerint: & in ſumma, in quo ſunt omnia, neminem unquam ſine hac ſapientia Deo placere potuiſſe demonſtrat. Nos igitur paulo fuſius, & quæ hoc in loco, & quæ alibi a diuinis ſcriptoribus, & a ſanctis patribus in ſacræ doctrinæ commendationem dicta fuere, explicaturi, primum eius præſtantiam, celſitudinem, vtilitatemq; ex ipſis etiam nominibus, quibus nuncupari ſolet, demonſtrare nitemur.

Sapientia diuina eſt veluti lux, ſol, & lucerna, quæ nobis in tenebris verſantibus lumen præbet. Cap. III.



Grego. Naz.

REGORIVS ille, qui ob ſingularem diuinarum rerum ſacræque Theologiæ eruditionem iure optimo, Theologus, cognomento eſt appellatus, oratione in ſanctum lauacrum, de baptiſmo diſputationem habiturus, hanc ſententiam nobis ſcriptam reliquit: Delectantur, qui

alicuius

alicuius rei magno tenentur amore, iucunde circa illius nomina versari. Cum ergo Christi fideles sapientiæ diuinæ desiderio teneri debeant, libenter priore loco de ipsius præclarissimis appellationibus disputationem audient: ex quarum cognitione eius vim, proprietates, fructus, celsitudinemque, bona ex parte cognoscent, atque ad eam conquirendam non mediocriter commouebuntur. Nec tamen omnia prosequemur nomina, sed quæ frequentiora & illustriora nobis visa fuerint, ea percensebimus. Appellatur itaque in primis hæc cælestis disciplina, lux, lumen, & lucerna. Dicitur lux, quod hominibus in hac rerum caligine & obscurissima nocte versantibus lumen præbeat, & viam commonstret; atque cæcas eorum mentes illuminet, & ignorantiæ tenebras ab eorum oculis dispellat. Hęc est lux illa, quam primum in spiritali mundo creauit Deus, sine qua nihil rerum diuinarum humanarumue bene cernitur: hæc est lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; qua qui carent, huius lucis auctorem cognoscere non queunt: hæc est lux illa a qua filij nominamur & sumus lucis: hæc denique est lux illa, qua illuminantur omnes, qui nocte peccati relicta, ad claram Ecclesiæ lucem per baptismi ianuam veniunt. Quo fit, ut hoc sacramentum a patribus Græcis, sacramentum photismaton, hoc est, illuminationum luculenter nominetur: cuius lucis figura, fuit lux illa, quæ populo Hebræo ex Ægypto egredienti de

Gen.1.

Ioan.1.

2.Thes.5.

Exod.10.

nocte

nocte præibat. Hac luce, siue hoc sole in mun-
Psal. 103. do spiritali exorto, ferę syluestres, & catuli leo-
num, improbi videlicet hęretici, dęmonum filij
in sua se lustra recipiunt: & homo, vir nimirum
fidelis ad opera sua peragenda egreditur. Hanc
lucem, is, qui se dulci oculorum lumine orba-
tum esse cognoscebat, his verbis ab huius lucis
Psal. 118. auctore postulabat. Illumina oculos meos, &
considerabo mirabilia de lege tua: est enim prę-
Psal. 18. ceptum Domini lucidum, illuminans oculos, &
intellectum dans paruulis. Nos quoque hanc
Luc. 18. lucem, tanquam cæci, cum cæco illo euangelico
petamus, & Christo domino quid velimus pe-
tenti, dicamus: Domine, vt videamus: hoc est,
vt sapientiæ tuæ lumen cœcis mentibus infun-
das, vt te Patremq; cognoscere possimus: in qua
cognitione nostram beatitudinem positam esse,
tu qui es lumen de lumine, & sapientia ipsa, nos
aliquando docuisti. Remoue igitur a nobis, o
Domine, innatam cœcitatem, illumina tenebras
nostras, ut tuæ lucis auxilio, te tuaq; percipere,
nosq; ipsos cognoscere possimus. Etenim, qui
tua luce est præditus ex ipsarum creaturarum
magnitudine, motu, dispositione, constantia,
vtilitate, ornatu, & temperatione, aliquam vim
diuinam ab omni concretione mortali semotam
reperiri certissime cognoscit; a qua omnia ad-
mirabili consilio, non aliqua minutorum semi-
num conglobatione fortuita, facta, neque ex ul-
lis asperis, & hamatis, vncinatisq; corpusculis
concreta, esse intelligit, & summa sapientia gu-
bernari

bernari videt. Qui eſt hac luce illuſtratus, luſtrat omnia, circumſpicit vniuerſa: animaduertit hanc omnem rerum multitudinem, ac pulchritudinem in ſuam vtilitatem eſſe factam, in ſuumque vſum conſeruari: cœleſtes inquam orbes, ſempiternos ignes, quæ ſydera & ſtellas vocamus, elementa omnia, animantes cunctas: quicquid in aquis natat, in terra ambulat, in aëre volitat, & in cœlo rutilat: ac proinde, quod eſt, quod ſapit, quod poteſt, quod habet, totum ſummæ illi poteſtati omnium rerum creatrici, & gubernatrici adſcribit. Et hæc eſt ſumma omnium quæ facta ſunt beatitudo, vt tandem omnia ad laudem eius referantur, a quo habent omnia; eius videlicet, qui tam mirifica opera ſapientia ſua excogitauit, poteſtate conſtituit, ratione perfecit, & prouidentia moderatur. Qui eſt hac luce repletus, cognoſcit ſe in hoc ampliſſimo terrarum orbe tanquam in quodam maximo templo, veluti quendam ſacerdotem ad diuinum numen cognoſcendum colendumque eſſe conſtitutum, ac proinde mentem humi defixam non habet, cogitationem a ſenſibus abducit, animo foras eminet, cœleſtia ſemper ſpectat, & ad æternam domum ex corporis vinculis, tanquam e carcere euolare percupit; vbi plene diuinam vim cognoſcere, ac collaudare queat. Qui eſt hac luce fultus altiſſimas rerum cauſas intelligit, occulta myſteria penetrat, in tertium vſque cœlum rapitur, diuinitatem ipſam intuetur, & denique, quæ in terris, quæque

in cœlis aguntur, ſpectat,ac rerum humanarum diuinarumq; cognitionem aſſequitur. Qui hac luce eſt prædıtus, tuto & recta incedit, ſibi & alijs videt, præcipitia vitat, & errantes ad viam reuocat. Qui vero hac luce caret, in obſcura nocte verſatur, tenebras palpat, ſæpe illidit, ſæpiſſime labitur, quid attrectet, non diſcernit, nec alios, nec ſe videt: qui hac luce caret in inimicos imprudens incurrit,leuiſſimo quoque rumore perterretur, & in nocte peccati dormit. Quæ a nobis dicta ſunt vera, immo veriſſima is eſſe cognoſceret, qui mentis oculis cerneret, quanta in caligine,tenebriſq; homines iacerent, antequam eis hæc diuina lux, hic ſupramundanus ſol illuxiſſet: & quanta in luce,ſole hoc exorto,fuerint. Quam rem longa oratione explana-

Cap.12.& ſequent. rem, ni breuitati conſulerem. Lectorem itaq; ad ipſam ſapientiam, quæ latius eorum cœcitatem, & miſeram, profligatamque conditionem exponit, reijcio: & ea ſpeciatim, quæ capite decimo ſeptimo ſub principium ſcribuntur legat. Solis itaque illis, vt cum ſcriptura concludam, ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat: ipſi vero ſibi erant grauiores tenebris. Hæc quæ diximus omnia intelligebat is, qui hac illuſtratus luce, ſuæ vitæ ſplendore, lumen vniuerſo terrarum orbi præbuit; Iobus inquam, qui aliquando de hoc lu-

Lib. 19. Mor.c.9. mine,ſiue lucerna dixit: Quando ſplendebat lucerna eius, diuina ſcilicet ſcriptura, vt diuus exponit Gregorius, ſuper caput meum, & ad lumen

men eius ambulabam in tenebris. Et alius, qui cecinit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Vide, vt hac lucerna in hac tenebrarum valle incedens, vtebatur Dauid. Et princeps apostolorum ac coryphæus Petrus maximum huius lucernæ candelabrum, Habemus, ait, firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. At, qua obsecro ratione, ijs qui hac lucerna non vtuntur, lux veritatis poterit illucescere, aut claræ doctrinę lucifer exoriri? Nunquid de his beatus apostolus diceret, Bene facitis attendentes: an potius, male facitis non attendentes? Attendamus igitur nos miseri, & cæci in hoc caliginoso loco, huic luci, huic lucernæ, quam misericordiarum Pater, nostram miseratus cœcitatem, misericorditer nobis tribuit. Ipse enim parauit lucernam Christo suo, idest diuum Ioannem, seu doctrinam, quam Ioannes docuit, Messiæ: quæ lucerna huius lucis fontem, & orientem præeundo, suo digito nobis commonstrauit. Ipse nanque primum nos, qui in vmbra mortis sedebamus, hoc est in maximis ignorantiæ tenebris versabamur, illuminauit: cum nobis scientiam ad peccatorum remissionem, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, dedit. Si hac lucerna vtemur, viam qua ad beatitudinem itur, inuenie-

Psal. 118.

2. Pet. 1.

Psal. 131.


Luc. 1.

mus, foueas, & fures vitabimus, demonis illusiones non timebimus. Etenim, vt præclare
In Luc. cap.... Theophilactus scripsit, eis qui scripturas scrutantur, nihil potest illudere; quia sunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur. O igitur suauissimam, gratissimam, ac iucundissimam lucem! quæ tot commoda humano generi affers: quæ mortalium mentes summa iu-
Psal. 50. cunditate comples: quę incerta & occulta sapientiæ diuinæ nobis manifestas. Te sine nihil est clarum, nihil peruium, nihil iucundum, sed omnia cęca, ingrata, & funesta. Vere, vere, qui te non desiderat, est infans: qui te frui non cupit, est amens: qui te non videt, est cœcus. In hanc igitur lucem, o vos, qui lux mundi esse debetis; immo omnes, cum nemo sit, qui filium lucis se esse non profiteatur, ingrediamur: in hac luce versemur, vt per eam ad æternam lucem perfruendam admitti aliquando mereamur. Ete-
Psal. 35. nim scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen; hoc est, per diuinæ sapientię lumen, ad Patrem luminum, & totius lucis fontem videndum perueniemus. Nam, sicuti sol sine sole non cernitur, ita ęternum lumen, sine hoc partici-
Sap. 7. pato lumine videri nequit. Ergo cum Sapiente dicamus: Et proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius: eamque vna cum regio propheta his verbis a Deo
Psal. 42. petamus: Emitte lucem tuam & veritatem tuã: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt, in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Sed
quo-

quoniam Pater luminum, iam ſuam lucem oculis noſtris offudit, illud vnum reſtat, vt ignorantiæ nubem excutiamus, oculoſque aperiamus, atque aquilino obtutu, acieque, in eam accuratius inſpiciamus: vt hac ratione probati, inter filios lucis connumerari poſſimus. Poſſet aliquis hoc loco de lucis huius mundi laudibus, communem tractando locum, agere; & quæ de ea dici ſolent, huic ſpiritali luci accommodare: ſed nos, cum breuitati conſulamus, iſta libenter ſilentio præterimus, & ad ea quæ reſtant properamus. Apollon. lib. de mirab.

Sacra doctrina eſt ueluti quidam limpidiſſimus fons, & cœleſtis pluuia, fluuiuſque perennis. Cap. IIII.





EA eſt ſacrarum literarum conſuetudo, vt res præſtantiſſimas, nominibus a rebus præſtantiſſimis tranſlatis, appellent: vt earum, quas nominant rerum dignitatem, vel ipſa appellatione demonſtrent. Præſtantiſſimum quid in hac rerum pulchritudine eſt lux; ſed aqua etiam inter cæteras creaturas ſuam nobilitatem habet: vt merito quidam antiqui Patres eius laudes eleganter copioſeque ſint proſecuti. Propterea ad demonſtrandam huius cœleſtis ſapientiæ præſtantiam, atque illuſtres effectus, ſæpiſſime, in diuinis oraculis, aqua, appellari ſolet. Huc profecto facit illud Sapientis dictum, & aqua ſa- Tertul. Ambr. Eccl. 15.

pientiæ ſalutaris potabit illum : aqua nimirum cœleſtis doctrinæ:quam aquam qui bibunt,non
Ioan.4. ſitiunt iterum. Neque enim humanæ ſcientiæ riuuli,etiam ſi quis omnes exhauſerit ingentem illam ac propemodum infinitam ſitim ex ardore ſciendi natam reſtinguere poſſunt, ſed ſola cœleſtis doctrina,quæ ex illo perenni, & æterno æternæ ſapientiæ fonte emanat. Eſt itaque rerum diuinarum ſcientia,aqua, quia ſordes ignorantię lauat, mentem fęcundat, ſpiritum vegetat, ſitim extinguit, conſcientiam ab erroribus purgat, & totum hominem refrigerat. Hinc eſt quod ij homines, quia hac aqua delectati ſunt, doctrina, moribus, vitæ puritate, & ſanctitatis fœcunditate fuerunt illuſtres : quorum mentes. his aquis fœcundatæ, vberrimos fructus omni posteritati ediderunt. Dionyſij inquam, Clementes, Athanaſij, Cyrilli,Baſilij, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Gregorij, Bernardi, & noſtra etiam memoria non nulli; qui tanquam frugiferæ arbores ad harum aquarum riuulos plantatæ, virent,florent, tempeſtiuos fructus ferunt, folia non proijciunt, & denique quæ faciunt omnia,eis proſpere ſuccedunt. Hac enim illuſtri metaphora diuinus vates eum, qui in hoc diuinæ legis ſtudio dies noctesq; verſatur,
Pſal.1. pſalmo primo luculenter deſcripſit. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo : & folium eius non defluet; & omnia quæcunque faciet proſperabuntur. Verum, cum

omnes

omnes ſimus arbores in domo Domini, quæ eſt Pſal.91.
Eccleſia, plantatæ; quid poteſt nobis accidere optatius, quam ſecus hos cęleſtis doctrinæ riuu- Apoc.22.
los a ſede Dei & agni fluentes, hęrere? Quid fructuoſius, quam hoc cœleſti humore fœcundari, ac ſuaues fructus ferre? Quid felicius, quam ex noſtris operibus, dum ad hos riuulos hæremus, nullum folium decidere? Quid denique honeſtius, quam nullos immaturos, aut corruptos fructus edere? Da, obſecro, ſenſum alicui arbori, exempli gratia, palmæ, atque ex ea quære, vbi nam vellet eſſe plantata: nunquid reſponderet, apud mortuas & putidas aquas, ad rapida flumina, & ad ſiccas ac ſpinoſas ripas? an potius apud aquę viuę riuulos leniter clareque fluentes? Nos vero, quaſi omni ſenſu carentes, apud emortuas humanę ſapientię aquas, & ſiccos mundanarum ſcientiarum torrentes, tanquam infœcundę & ſteriles plantę altius radices agemus? Et hinc eſt quod exiguos fructus, & interdum parum maturos, parumque integros a quibuſdam hominibus in agro Chriſtiano efferri cernimus: libros nimirum de rebus inanibus, ludicris, & inhoneſtis: qui & ciuiles mores, & politicas uirtutes, & quod multo peſſimum eſt, ipſam etiam religionem multo magis, quam ethnicorum libri, corrumpunt: libros, inquam, aqua & igne digniſſimos; ex quibus catholicę fidei hoſtes latrandi occaſionem ſumunt. Non eſt, non eſt hęc aqua illa ad quam nos Dominus Iſa.55.
inuitat, ad quam diuinus ille uates ſe a Deo du-

ctum fuisse lętabatur, cum cecinit. Super aquam
Psal.22. refectionis, hoc est, ad aquam reficientem, & sitim ęstumque sedantem educauit, hoc est, deduxit me. Hac aqua idem vates aliquando refrigeratus, cum profugus a sancta ciuitate, per inuios, & siccos montes vagabatur, in has proru-
Psal. 118. pit voces: Cantabiles, siue cantica mihi erant iustificationes tuę in loco peregrinationis meę: ac si dixisset, cum profugus inimici Regis insidias & vim per solitarios montes fugiebam, solum lex tua, o Domine, tanquam dulcissima & alsissima aqua, me recreabat. Ad hanc igitur aquam tanquam sitibundi cerui curramus, hac aqua sitim extinguamus, in hac nos ipsos totos lauemus, & in hac tanquam in puro, claro, ac pellucido liquore faciem nostram intueamur. Quoniam aliæ, quotquot sunt aquæ, luculentæ fluunt, aliquid amaritudinis habent, male sæpissime olent; vel certe tanquam marini fluctus sitim non restinguunt. Et tamen in hoc aquarum genere, o bone Deus, quam multi, tanquam
Mat.17. lunaticus ille, de quo in euangelio legitur, toto vitę tempore sese inuoluunt! nec timent repre-
Iere.2. hensionem illam: Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi vis cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Cur potius ad aquas Iordanis, hoc est flu-
Mat.3. uij iudicantis, vna cum Christo, a quo iudicandi sunt, non se conferunt? vbi peccata abluuntur, cęli aperiũtur, arcana diuina referantur, Spiritus sanctus descendit, & vox illa iucundissima
exau-

exauditur, qua adoptionis gratia tribuitur: ex quibus aquis, qui in mari natant, pisces, & quæ in cœlo volant aues, procreantur. Inuito igitur fideles omnes, vt relictis ægyptijs aquis, dum in deserto huius vitę versamur, ad aquam de petra, hoc est, e Christi doctrina, tactu virgæ, idest labore & studio educendam, confluant, vt populus & iumenta, omnes videlicet docti & indocti bibant: ne, dum ad terram promissam tendimus, in itinere siti pereamus. Ad huius doctrinę vim atque abundantiam explicandam, non solum sacri scriptores, aquam, simpliciter appellant, sed etiam flumen, & fluuium. Et ostendit mihi, ait Ioannes, fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. Procedit ergo hæc cœlestis sapientia a sede Dei & Agni, qua nihil est eminentius: & tanquam fluuius, quia nihil est ea vberius & affluentius: & quidem veluti fluuius aquæ viuæ, quia nihil est ea purius, ac suauius: & veluti crystallus, quoniam nihil est hac doctrina nitidius, atque lucidius. Hic ergo est fluuius ille, cuius impetus lętificat ciuitatem Dei, ipsam nimirum Ecclesiam: hic est fluuius ille, qui egreditur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum fidelis animæ; qui in quattuor diuiditur capita, quæ sunt quattuor diuinarum scripturarum sensus, quibus tota irrigatur, & fœcundatur Ecclesia. Litteralis intellectum docet, tropologicus mores format, allegoricus fidem confirmat, & anagogicus spem corrob orat.

Gen. 1. Exo. 17. Apoc. 22. Psal. 45. Gen. 2.

rat. Quare, merito hęc doctrina sub Sapiētis personam dicere potuit. Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio: ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquęductus exiui de paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum: Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino. Hæc, si quis voluerit copiose amplificare, poterit. Ego fateor in me non esse tantam vim spiritus, tantamque dicendi copiam, vt id efficere queam: satis mihi fuerit ob legentium oculos illustrem ad contemplandum, ac tractandum proposuisse locum. At vero de humanę scientię fluuijs, quid Seraphicus doctor diceret? id videlicet, eos esse torridos, quia gratiarum flumina exiccant: turbidos, quia intellectum offuscant: tepidos, quia affectum tepefaciunt: ac denique turgidos, quia scientia humana inflat. Sunt ergo humanæ doctrinæ fluuij, torridi, turbidi, tepidi, ac turgidi. De scripturæ vero fluuio cum ipsamet scriptura affirmaret, esse fluuium voluptatis, veritatis, & caritatis, in quo omnium generum procreantur lapilli. Hæc item doctrina, cum de cœlo descendat, & montes vallesque fęcundet, non raro nomine pluuię designatur: quæ cum a Deo pro sua

Eccl. 24.
Princ. sacrę script.
Dan. 7.
Gen. 2.

ſua voluntate detur, pluuia voluntaria nominatur. Qua pluuia ſolet Deus, in pœnam, ſuam vineam, ſuum videlicet populum, priuare: Ideo apud Iſaiam legimus: Et nubibus, ideſt meis doctoribus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem: vbi de hac doctrina ab Hebræis auferenda vaticinatur propheta. Huc facit, quod in Deuteronomio vndecimo capite narratur. Quando Deus promiſit populo Hebręo terram, dixit eam non eſſe ſicuti eſt terra Aegypti, quæ irrigatur per riuulos; ſed montuoſam & campeſtrem, de cœlo pluuias expectantem: quam terram ſemper Deus inuiſit: & oculi eius in ea ſunt a principio anni, vſque ad finem eius. Hæc terra eſt fidelium Eccleſia, cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis: quæ non riuulis humanæ ſapientiæ, ſed pluuia cœlitus demiſſa, irrigatur. Nubes ergo, quę hanc pluuiam continent, ſunt verbi diuini concionatores, & Eccleſiæ veri & catholici doctores, vt ſancti exponunt patres: non autem ij, quos nunc hæreticorum conuenticula habent; ignari ſcilicet grammatici, inſtabiles adoleſcentes, impudici poetæ, & impuriſſimi apoſtatę, virginum violatores, monialium corruptores, ac diuinorum librorum deprauatores, voluptatibus pellecti, mercede empti, & honoribus corrupti. Quos Apoſtolorum princeps Petrus, in altera ſua canonica, his verbis graphice deſcripſit. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Illuſtribus

Pſal.67. Iſa.5. Deut.11. Pſal.86. Nicol. Sand. 2.Pet.2.

bus itaque metaphoris, canonicus ſcriptor, hæreticorum pingit naturam, dum eos vocat fontes ſine aqua, & agitatas nubes, cum omni vento ferantur doctrinę, cum diuinorum oraculorum puram intelligentiam amiſerint: ideoque quas promittunt aquarum ſcaturigines, eas nec pręſtant, nec pręſtare poſſunt: quos ob eorum nefanda ſcelera, æterna manent ſupplicia. Superbia enim vanitatis, ideſt ſuperba & vana loquentes, pelliciunt, in deſiderijs carnis luxurię, in luxúrioſas nimirum carnis appetitiones, eos qui paululum effugiunt; hoc eſt, eos qui ipſorum doctrinam vitare conantur: qui in errore verſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. Belle, vt diximus, hęreticorum, noſtri præſertim temporis, naturam beatus deſcripſit Apoſtolus: quam deſcriptionem, cum ferre nequeant, ex librorum canonicorum albo, hanc canonicam epiſtolam impij homines, impie expungere conantur. Caueant igitur Chriſti fideles cum ſitiunt, cum pure &
Ierem. 2. ſuauiter bibere volunt, ne ad has ciſternas diſſipatas non valentes continere aquas accedant: ſed ad fluuium illum ſe conferant, qui e loco voluptatis, & a ſede Dei & Agni fluens, totam irrigat Eccleſiam; ad fontes, quos emittit Deus
Pſal.103. in conuallibus, in hominibus uidelicet humili-
Cant.4. bus; ad fontem hortorum, & ad puteum aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de Libano,
Iſa.12. ad doctrinam nimirum puram & liquidam, quę fluit ab eccleſia. Tunc enim haurient aquas in

gaudio

gaudio de fontibus saluatoris. Audiamus ergo omnes, qui in deserto huius uitæ ambulamus, æstu iam fere consumpti, sitique enecti, uocem illam suauissimam: Omnes sitientes uenite ad aquas: ac etiam fontem aquæ uiuæ dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: qui nobis eam dabit aquam, quæ e cœlo defluxit, quæ uere sitim extinguit, mentem fœcundat, conscientiam lætificat, & ignorantię sordes mundat: & ita in nobis fiet fons aquę uiuę salientis in uitam ęternam. Oremus Deum opt.max.ut nubibus mandet, ut super nos, qui sumus ueluti terra sine aqua, pluant, ut cœlesti aqua fęcundati fructus æternæ uitæ dignos in Ecclesiæ agro possimus efferre. Nam, si a Deo carnali populo sitienti, & ipsum inuocanti, data est terrestris aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro, cur etiam spiritalibus filijs, si petiuerint, cœlestem aquam cœlestis non dabit pater? Elias homo erat similis nobis, passibilis; & oratione orauit ut non pluerent super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Cur ergo, si nos quoque orauerimus cęlum super nos cœlestem non instillabit pluuiam? Sed sit huic loco finis.

Lege Ber. ser. 66.

Isa. 55.

Matt. 11.

Ioan. 4.

Exo. 17.

3. Reg. 17.

Iac. 5.

Diuina ſapientia ſe tanquam vinum & lac nobis guſtandam proponit. *Cap. V.*



NIHIL diuina ſapientia non fecit, nullam non adhibuit artem, nullum non mouit lapidem; vt varios, delicatos, & faſtidioſos hominum guſtus, ad ſe guſtandam alliceret. Ideo nominibus earum rerum, a quibus homines vehementer trahuntur, quarum etiam perfectiones ac proprietates continet, ſe nominauit, ac nominari voluit. Quo fit, vt non ſolum tanquam lucem & aquam, ſed etiam tanquam vinum & lac, quibus rebus homines valde oblectantur, ac nutriuntur, vino adulti, lacte infantes, vt neminem a ſe excluderet, ſed omnibus ſeſe maxime accommodatam demonſtraret, ſe guſtandam propo-
Iſa.55. nit, dum ait: Venite, & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. Eſt itaque rerum diuinarum cognitio, vinum, quod exhauſtos vehementer nutrit, imbecilles roborat, mæſtos exhilarat, & ſemimortuos, dum vitales ſpiritus in eis excitat, vel gignit, ad vitam reuocat. De hoc vino loquebatur Dominus
Matt.19. apud Matthæum, cum dicebat: Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sapientia videlicet Chriſtiana, atq; perfecta, non in veteribus & imperfectis, ſed in nouis & robuſtis, atque ab omni fęce expurgatis homi-

hominibus infundenda eſt. Hoc eſt illud vinum, quod, ædificata domo, & menſa propoſita, æterna ſapientia miſcuit, vinum ſcilicet cognitionis diuinæ ſcripturæ, ſacræq; Theologiæ, quod varijs ſenſibus, varijſq; loquendi modis, vt ſeſe nobis attemperaret, permiſcuit. Parata itaque menſa, vinoq; permixto, quid nam ſapientia diuina fecit? o immenſam Dei erga hominum genus in ſe ingratiſſimum miſericordiam! miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus, veniat ad me: & inſipientibus locuta eſt: Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ. Paruulos primum, omnium ſcientiarum domina per ſuas ancillas vocat, antequam ad inſuaues, & parum vtiles rerum humanarum ſcientias ſeſe totos conuertant: antequam mulier ſtulta & clamoſa, plenaq; illecebris, & nihil omnino ſciens, cuiuſmodi eſt humana ſapientia, ſi a chriſtiana philoſophia fuerit diſſociata, paruulos vocet, vt ad ſe declinent. Quod non ſine magna animi mei moleſtia ſæpe accidiſſe vidi, non ſolum in ſæcularibus hominibus, ſed etiam in ijs, qui ſacris initiati ſunt, & religionem ipſam profitentur: & hiſce diebus priuatim quoſdam meos diſcipulos, quos ad hæc ſacra ſtudia ſæpe inflammaueram, ſtulta & clamoſa mulier, vel lucri, vel honorum fucata ſpe, reuocauit. Quæ potiſſimum ſane cauſa, me ad hoc opuſculum conficiendum

Prou. 9.

Prou. 9.

Lege Dio. Areop. epiſt. ad Titum.

ciendum, & edendum incitauit. Semper enim ab eo vſque tempore, quo ſapere cœpi, maximo deſiderio flagraui videndi ſacræ Theologiæ ſtudia florere. Vocat deinde inſipientes, eos videlicet, qui tanquam amentes, vera ſapientia relicta, rerum diuinarum tractatione neglecta, libros, non modo lectu, ſed etiam cogitatione, auditu, & uiſu indignos legunt: aniles, inquam, fabulas, pueriles facetias, nugas nugaciſſimas, impudica dicteria, cœnoſas comędias, venereas odas, Romanzorum, quos vocant, inania inſomnia: planius dicam, hominum fictorum arma, amores, ferocias, indignationes, & fœminarum ſæpe corruptarum pulchritudines: quas, parum chriſtiane, ſuas delicias, ſuos paradiſos, & ſuas deas vocant. O male impenſos labores! o peſſime collocatàs operas! eorum hominum, qui hoc librorum genus, poſt multos ſudores, hominibus legendos præbuerunt, & de ſuis moribus ob huiuſcemodi librorum confectionem, non laudabilem opinionem omni poſteritati reliquerunt. De quibus, cum Sapiente diceręs: Sapientiam prætereuntes, non tantum in hoc lapſi ſunt, vt ignorarent bona, ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam. Sed iſtos miſſos faciamus, cum non ea de cauſa ſtylum ſumpſerimus, vt quempiam acrius pungamus: & aliorum potius leuitatem admirandam deploremus; eorum nimirum, qui vera, ſolida, & diuina ſtudia poſtponunt, & humanas fabellas, fictas & leues leuium hominum cogitationes,

Sap. 10.

quotidie

quotidie lectitant, memoriæ mandant, & ne memoria excidant, passim cantillant, atque adeo commentarijs exponunt, & amplificant. Non sic, non sic erat affectus ille, qui hunc in modum cecinit: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Et quidam vir nostra ætate vitæ integritate, & doctrinæ copia celebris, cum scripta quorundam minus pudica, ac digna, quæ lucem videant, damnasset, hæc verba ad aliorum exemplum scripta nobis reliquit. Væ mihi misero, qui olim puer imprudens suxi dulcia hæc venena. Et quid obsecro, vos, vos appello, qui Christianam religionem profitentes, Christianam philosophiam solam, & desertam esse sinitis, potest excogitari infantius? quid stultius fingi, quam ancillas, idest humanas artes, quas omnium scientiarum domina, ac regina Theologia vos accersendos misit, sequi & amplecti, & de domina cogitare nihil? Animaduertite infantiam, considerate stultitiam. Vtra enim tandem poterit vos ueris diuitijs magis ditare, verisq; uoluptatibus copiosius explere, postquam diuitias, & uoluptates quæritis ancilla, an Domina? Cum, ut ea scriptura docet, quæ mentiri nequit, Domina omnes opes, & delectationes omnes secum afferat? Vtra pluribus, & maioribus honoribus ornare, Regina an famula? Ministerio igitur ancillarum utamur, ut ad Reginę aulam peruenire, & ad regalem mensam accumbere, & uinum quod nobis permiscuit gustare, eodemq; nos inebriare possimus. Hoc est uinum,

Psal. 118.

Ambros. Cathar.

Sap. 7.

num, siue mustum illud, quo Apostoli repleti, magnifica, ac mirabilia de Deo dicebant, & tanto ardore, tantaq; dicendi efficacia loquebantur, ut auditores in maximam admirationem
Act. 2. raperent. Si vos, qui parui Christianam philosophiam facitis, & quasi indignam præteritis videre vultis quam diuina sapientia desideret, vt vosipsos hoc suauissimo potentissimoque vino inebrietis, quibus ipsa verbis vo-
Cant. 5. bis det bibere, quæso animaduertite: Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi. Quis hic erit tam durus, tam inhumanus, qui his suauissimis, & amantissimis vocibus exauditis, ad hoc vinum gustandum, non accedat? quod bene multi, non sine maxima huius dulcissimi liquoris iniuria, & suæ stultitię significatione, antequam gustent; tanquam insipidum & in salubre respuunt, ac stomachantur: quod, si gustarent, nihil dubito, quin probarent, eoq; se inebriare vellent. Gustate igitur, & videte,
Sap. 7. quam sit hoc vinum suaue, & tunc cum Salomone dicetis, Et ignorabam: nesciebam videlicet, aut non putabam tantam esse vini huius dulcitudinem, tantamque potentiam. Dies me deficeret, si percensere vellem exempla eorum, qui, hoc vino vix dum gustato, ebrij facti sunt: qui hac sancta ebrietate affecti, ea fecerunt, quæ stultus in hac re, vt in alijs omnibus, ijs qui pro-
Cardin. Serip. prie ebrij dicuntur, tribuere mundus solet. Huc pertinet factum cuiusdam doctrina & honoribus illustris viri, vt nunc multos mittamus a-
lios,

lios,qui cum esset cuiusdam amplissimę religionis summus Magister, quem, Generalem, vocant, & quidem perpetuus, cum & studiorum laboribus, & varijs suscepti officij curis aduersa esset valetudine affectus, monitus a medicis, si vellet suæ vitæ consulere, vt vel studia abijceret, vel dignitati renunciaret; maluit, hoc mystico vino iam factus ebrius, ab eo, in quo constitutus erat amplissimo gradu descendere, quam diuinarum rerum studia deserere. O ebrietatem admirandam! quæ non stultitiam, sed sapientiam affert: quæ rationis vsum non minuit, sed auget: quæ non ebrium, sed sobrium facit: quæ non carnem libidine accendit, sed diuino amore spiritum inflammat. At vero, de vino humanæ sapientiæ, quid mellifluus Bernardus diceret? Vinum secularis scientiæ inebriat quidem, sed curiositate, non caritate: implens, non nutriens: inflans, non ædificans: ingurgitans, non confortans. Diximus de vino, nunc pauca de lacte dicamus. Ne itaque diuina sapientia, vt supra scripsimus, a sui cognitione quempiam videretur repellere, non solum se adultis tanquam vinum, sed etiam infantibus, tanquam lac, gustandam proposuit. De hoc mystico lacte, quo suos filios bona illa nutrix, quæ facta erat omnia omnibus, lactauerat, verba faciens, dicebat: Lac vobis potum dedi, non solidum cibum, simplicem nimirum, ac facilem de rebus humilioribus doctrinam. Habet enim hęc diuina sapientia, quod eius est proprium, vt & 1.Cor. 3.

paruulis & adultis, & doctis atque indoctis, vt alio dicetur loco, ſit maxime accommodata.
1.Pet.2. Diuus quoq; Petrus de hoc lacte aliquando ſermonem habuit, atque ad illud deſiderandum his verbis nos ſuos filios excitauit: Sicuti modo geniti infantes rationales, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem: ſi tamen guſtatis quam ſuauis eſt Dominus. Quem huius beatiſſimi Apoſtoli, & parentis ſuauiſſima, & mellita verba ad hoc lac guſtandum non commouerent? immo, quem non impellerent? cum tanta ſuauitate alliciat infantes, eos videlicet, qui etiam de primis Chriſtianæ philoſophiæ elementis nil fari ſciunt. Verum, cur non commoueamur, id eſſe in cauſa puto, quod infantes rationales non ſumus, ſed vere rationis vſu infantes; ac proinde non ſeria, ſed ludicra, nō vtilia, ſed infantilia diligimus: nec mirū, quia dolo nō caremus, & malitia vacui non ſumus, & non dum guſtauimus, quam ſuauis ſit Dominus. Vel ſi cum Græcis legas, rationale, ſine dolo lac concupiſcite; ideo hæc ſapientia rationale lac vocatur, quod congruenter cum ratione viuere nos doceat, doliq; expertes reddat: quod nunquam profecto humana ſapientia efficiet.
Nicol. Zeger. Vel, uocat lac rationale; quia non eſt humanū, non animale, non terrenum, ſed diuinum, ſpiritale, & cœleſte immortalis animi alimentum: cum hoc lac ab vberibus diuinæ ſapientiæ ſit expreſſum, ideoque ab omni dolo, fraude, & corruptela prorſus alienum. Si ergo tanta eſt huius

lactis

lactis præstantia, si tanta vis atque facultas, si tanta dulcitudo, vsque quo paruuli diligent infantiam, & stulti ea, quæ sibi noxia sunt cupient, & imprudentes odio habebunt scientiam? Conuertimini, ait, sapientia, ad correctionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Sed, quam pauci sunt, qui conuerti velint? quam pauci, qui hunc spiritum excipere cupiant? Contra vero, quam multi sunt, bone Deus, in domo tua, qui se tanquam parentes & nutrices ad alios lactandos instituendosque præbuerunt, & tamen cum ipsi sint infantes, fari nesciunt, & lac in os infantium instillare non queunt. Denique, de hoc etiam lacte intelligitur illud: Qui premit fortiter vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Verba, ait quidam pater, fortiter premimus, cum verba sacri eloquij subtiliter intellectu pensamus: quia, dum nutriri, vel tenui intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis inungimur. Ex quibus intelligi licet, cur apud Isaiã, loco initio huius capitis citato, hæc verba adiecta fuerint: Et delectabitur in crassitudine anima vestra. Et vt hunc concludamus locum, appellatur hæc rerum diuinarum notitia, lac, & vbera; quia vt infantes, qui lac gustare cœperunt, non facile ab uberibus depelluntur, ita nec qui diuinæ sapientiæ suauitatem semel, uel primoribus labris attigerunt, se ab ea depelli facile patiuntur: & vt nulla re facilius placantur infantes, quam lacte, & uberibus; ita nulla iu-

Prou. 1.

Prou. 30.
Greg.

Isa. 55.

Cant. 1.
Lege lib. de inter. homine.

cundiore ratione poterit quis hanc turbulentam uitam degere, quam si ad sacræ Theologiæ ubera ore semper adhæserit, cum sint dulciora uino: denique, ut matres ad aures puerorum tunc loqui solent, eisque delicias facere, cum ubera sugunt, ita & diuinus spiritus, tunc nos alloquitur, nobisque blanditur, cum ad diuinæ sapientiæ ubera adhærescimus. Possem susceptum locum copiosius ac neruosius urgere, nisi propositæ breuitati studerem, ac hominibus ingenuis, ex ipsa sacra pagina rerum diuinarum cognitionem esse adultis uinum, & infantibus lac demonstrasse, satis esse arbitrarer. Et sane, qui ad simplicem harum duarum uocum sonum, Vinum, & Lac, cœlestis doctrinæ studio non commouetur, non accenditur, is mihi, non dicam infans, & stultus, sed brutum prorsus animal, uel potius immobilis & omni sensu carens lapis, esse uidetur. Sugamus igitur, o amici, hoc lac, bibamus, o carissimi, hoc uinum, cum nihil sit hoc lacte alentius, nihil hoc uino potentius, & nihil infantibus, lacte, & adultis, uino, magis oportunum; ut inebriemur, pinguioresq; fiamus. Hoc, ni fecerimus, si inuitantem sapientiam non audiuerimus, uerendum nobis est, ne si despexerimus, hanc infaustam, & horribilem eiusdem sapientiæ sententiam audiamus. Ego quoque in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id, quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando uenerit super

Cant. 1.

Prou. 1.

vos tribulatio & angustia. Tu igitur quisquis es uoluptatum uerarum cupidus, & cœlestium suauitatum auidus, in hanc cellam uinariam ingredere, & si opus fuerit, etiam importunitate euangelica, irrumpe; & propinatum uinum bibe; quod cum gustaueris, simul cum Propheta in hanc admirationem profecto prorumpes, & calix meus inebrians, quam præclarus est! Psal.22.

Diuinarum rerum studium, est spiritalis panis, & mensa. Cap. VI.



T nomine panis sacræ literæ omne ciborum genus, & quicquid in mensa ponitur, immo quidquid ad uitam degendam est necessarium, significare solent; ita appellatione mensæ maximam quandam lætitiam, omnem consolationis vim, ac omnium rerum felicissimum statum designare consueuere. Cum ergo inter omnes, quibus uescimur cibos, nullus sit pane alentior, atque oportunior, & inter omnes, quas perfruimur uoluptates nulla maior, quam quæ ad mensam capitur; ideo diuina sapientia, cum nihil intentatum reliquerit, ut nos ad se alliceret, & pertraheret, se tanquam panem, quo nemo est mortalium, qui non uescatur, quo sine uita traduci nequit, & tanquam mensam omnium ciborum genere magnifice instructam, nobis proponit. Diuinarum itaque rerum notitia uocatur panis, cuius, et si multæ sint utilitates & com- Lege lib. de interiore homine.

moditates: tamen multo plures & maiores sunt huius sapientiæ, ad quam perdiscendam fideles incitare conamur, vsus & emolumenta. Hic est panis ille quotidianus, siue supersubstantialis, qui de cœlo descendit, quem quotidie a præpotente Deo petimus, & ipse ad dandum semper est paratus; ad quem petendum nos inuitat, &, vt congruenter petamus, petitionis formam ipse præscribit. Et tamen nos stulti, & stupidi, Deo non modo ad petendum inuitante, sed etiã vltro offerente, manus ad accipiendum extendere negligimus: quo fit, vt iure optimo de nobis conqueratur, & dicat: Quia vocaui & renuistis: extendi manu meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Quid igitur multi quotidie eum panem petunt, quem expositum accipere nolunt, & dare volentem non aspiciunt? Quid quotidie clamant, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quem, non dicam singulis diebus, aut mensibus, aut annis, sed ne tota quidem vita sumere volunt, aut curant? An fortasse petitis, quia velitis, nolitis naturæ propensione sciendi famem sentitis; & tamen, tanquam vobis ipsis inimici, & erga vosipsos crudeles, gratis oblatum panem, & quem panem? angelorum nimirum cœlo delapsum, sine quo, nec ipsi beati viuere possunt, sumere non curatis? Vt de vobis vere pronunciatum fuerit: Et famem patientur vt canes. Finge, obsecro christiane lector, sapientiam æternam cœlo dela-

Mat.6.
Prou.1.
Psal.58.

delabentem, tibique ab ea panem hunc petenti seseque tibi obijcientem, panemq; a te petitum præbentem, atque ad manducandum inuitantem; ait enim, venite, & comedite panem meũ; Prou.9.
quid tunc faceres? manum contraheres, an explicares? panem illum despiceres, an auide arriperes? terga uerteres, an potius obuiam ires? Vel, qui tunc tibi esset animus? qui vultus? quę frons? Nonne te puderet tam grande munus, tibi tam necessarium, tot a te precibus toties efflagitatum, & a diuina sapientia tibi oblatum, non accipere? Atqui, vt vides, quotidie petis; quotidie tibi offertur, & quotidie despicis, aut certe parui facis. Panis noster, ait Augustinus, Ser. 3. in Psal.36.
est verbum Dei, sacra nimirum scriptura, quam quando audis, aut quando legis manducas: quando iam recogitas ruminas: vt sis animal mundum, & non immundum. Sed hic dicerent multi, se hunc panem quotidie sumere, dum canonicas horas recitant, & sacros hymnos cantant. Quibus facile concederem, eos hunc panem deglutire, dum cursim sacra verba pertranseunt, & versiculos aceruatim pronuntiant. Verum, id non est panem manducare, quem ij manducant, qui dentibus cogitationis terunt, & recogitando ruminant. Huc pertinet Prou. 21.
illa sapientis sententia: Thesaurus desiderabilis requieuit in ore sapientis: uir autem stultus glutit illum: hoc est, prudentes ea quæ legunt, diligenter perpendunt; stulti vero non item. Vi- Lege lib. de inter. homine.
deant igitur isti quo pacto tantum panem manducent;

Tren.4. ducent; & manducandi rationem, a diuo Ambrosio discant. Toto, ait hic sanctus pater, animo, ac corde diuinæ sententiæ versandæ, vt succus spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. Oportet itaque diligentem sacræ scripturæ Lectorem spiritalem cibum de utero memoriæ, tanquam mundum animal reuocare, eumque accuratæ retractationis guture ruminare: cum quæ non ruminant animalia, pro immundis habeãtur, & a sacrificio reijciantur. Hic est panis ille, quem pauperes petierunt, & non erat qui frangeret eis, idest, qui eis daret, aut exponeret: qui si non frangitur, turbæ non satiantur, & famelici pereunt: cuius panis micæ & fragmenta, sunt diuina mysteria. Atqui, quo nam pacto multi, qui huius panis dispensatores se esse profitentur, panem petentibus frangere poterunt, cum nihil huius panis domi habeant, nec habere curent? cum in curis esse velint sine curis: cum solos redditus procurent, & tantum de codicibus accepti & expensi suscipiant curas: cum tamen, vt quidam sapienter scripsit, Hominis naturæ sit, vt omnium hominum curam gerat; & nulla sint maiora lucra, quam animarum. Pretiosior, ait Simon de Cassia, est ista negociatio, quam auri & argenti primi, & purissimi. Non sic, non sic bonus ille animarum curator, & rerum diuinarum studiosus Gregorius Theologus, qui, vt se, & suos hoc cœlesti pane nutriret, nullam reddituem curam habere, aut rationem requirere voluit: idque ad institores,

Lib. de Cain.

Franc. Abbas.

Mat.25. Lege lib. de inter. homine.

Anton. Imp. lib. 2. suæ uitæ.

Lib.9. Ser.44.

Grego. presb. in eius uita.

ſtitores potius, quam ad paſtores pertinere dicebat. Quid? quod interdum, utinam mentirer, ij qui alios ad hunc panem ſumendum, & verbo, & exemplo prouocare deberent, eos, qui ſumere, & ſe paſcere hoc pane volunt, non minus ſtulte derident, quam crudeliter impediunt. Sed, ne in eos, quos vellem omni ſtudio, & chriſtiana caritate ad hunc panem edendum, & ruminandum commouere, aliquid ſeuerius ſcribam, eo, vnde digreſſa eſt, redeat oratio. Qui vero hoc pane abundant, ſicut ipſi quotidie a Deo paſcuntur, ita ſibi commiſſos pauperes paſcant: ni aliquando horrendam illam ſententiam exaudire volunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Audiant ipſam ſcripturam ipſis dicentem: Qui habitatis in terra auſtri, cum panibus occurrite fugienti: Hoc eſt, qui habitatis in Eccleſia superni ſpiritus caritate perflati, qui panibus diuinæ eruditionis abundatis, occurrite fugientibus terrena, & æternam mortem, & eos cibis diuini verbi reficite. O ter, quaterque beatum eum, quem Deus hoc pane vitæ, & intellectus cibauit! pane inquam ſuæ ſapientiæ, pane angelorum: pane, qui inſtaurat, qui nutrit, qui corroborat, atque ſuſtentat hominis ſpiritalem vitam. Noſti, ait Hieronymus Florentio, hoc eſſe animæ pabulum, in lege Dei meditari die, ac nocte. Propterea regius Propheta nihil ſibi deeſſe cecinit, quod Deus eum

Mat. 25. Iſa. 33. Greg. Eccl. 15. Epiſt. 2. Pſal. 22.

regeret, hoc eſt paſceret, & in loco paſcuæ, in ſacrarũ videlicet literarum pabulis, eum collocaſſet. Ecquid aliud eſt hominis vita, vt docte ſapienterque Tullius ſcripſit, niſi contemplari? cum homo ſit animal ad contemplationem natum? Si igitur eum a rerum cognitione, cogitationeque retraxeris, eum ſuo pane, atque vita priuabis. Quo fit, vt hæc cœleſtis doctrina merito, panis vitæ, & intellectus dicatur: quo pane qui veſcitur, vſq; ad montem Dei Oreb, hoc eſt, vſque ad cœleſtem patriam peruenit. Hunc igitur panem omnes fideles ſibi a diuina ſapientia oblatum, ſumant: hoc pane ſuum cor confirment; vt aliquando impleatur vaticinium illud: Et mane ſaturabimini panibus. Atque de pane hactenus; nunc pauca de menſa. Inuitant ergo nos diuina oracula ad cœleſtem philoſophiam perdiſcendam, dum nobis eam tanquam lautiſſimam menſam proponunt: de qua longum texerem ſermonem, ſi accuratius exponere vellem, quibus ſit inſtructa cibis. Vniuerſe igitur nunc dicam, quod particulatim poſtea explicabitur, huius menſæ inſtructorem fuiſſe Spiritum ſanctum, qui ſapienter, ſuauiterq; omnia diſponit, qui eſt ſpiritus veritatis, ſpiritus conſolationis, & dulcis hoſpes animæ: qui in hac menſa eos guſtandos propoſuit cibos, quibus una cum Patre & Filio, ut ita dixerim, ueſcitur ipſe. Ea enim manifeſtauit nobis, quæ nec ipſi cœleſtes ſpiritus olim nouerant. Cogita tu inſtructorem, cogita appoſitos cibos, occulta ſcilicet

Tullius. Epict. — 3.Reg.19. — Exod. 16. — Pſal.22. — Lege lib. de interiori homine. — Sap.7. — Epheſ. 4.

ſcilicet & nobis prius incerta diuinæ ſapientiæ myſteria; & quanta ſit menſæ dignitas, quantus ſplendor, quantusque apparatus, aliqua ratione intelliges. Omnis ergo ſcriptura, inquit Origenes, menſa eſt ſapientiæ: quia varios habet cibos; quia eſt expoſita omnibus; quia ſecum maximam vtilitatem, ac voluptatem affert. De eadem menſa hæc luculenter ſcripta reliquit Hugo. In refectorio ſacræ ſcripturæ tres menſæ, ideſt, tres intellectus diuinę ſapientiæ ponuntur, videlicet hiſtorialis, myſticus, & moralis. Prima menſa ſimplicibus, ſecunda doctoribus, tertia communis vtriſque. In prima cibus groſſior, in ſecunda ſubtilior, in tertia dulcior. Prima continet ſaporem exemplorum, ſecunda vim myſteriorum, tertia dulcedinem morum. Prima paſcit miraculis, ſecunda figuris, tertia verbis. Parauit itaque diuina ſapientia nobis accommodatam menſam, ad omnes reficiendos, nutriendos, & exhilarandos. Id, cum regius propheta optime intelligeret, hunc in modum Deo huius menſæ inſtructori cecinit. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Nihil enim, vt ſuo loco latius dicetur, eſt, vnde maiorem capere conſolationem poſſimus, cum varijs anguſtijs premimur, cum triſtitia nos inuadit, cum curæ nos conficiunt, quam ſi ad hanc menſam accubuerimus, quam ſi poſitos in ea cibos ſumpſerimus. Quoniam, vt ait Apoſtolus, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt,

Hug. li. 3. de anima.

Pſal. 22.

Rom. 15.

Eccl.40. vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Huc pertinet etiam illa luculenta sapientis sententia sępe cogitatione, & sermone tractanda. Vinum & musica lętificant cor: & super vtrunque dilectio sapientiæ. Si quidquam est, dixit is, qui totam ætatem in his studijs contriuit, quod in hac vita virum sapientem teneat, & inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse primum reor, meditationem, & scientiam scripturarum. Non enim, vt inquit Salomon, sapientiæ consuetudo amaritudinem habet, nec tędium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium. Parata itaque est in conspectu nostro mensa, cibis optimis, conditissimis, exquisitissimisq; instructa: sed quoniam nec ciborum præstantiam, nec instructoris artem atque industriam percipimus, ad eam animi nostri nauseant. Quo fit, vt alij cibos non esse ad alendum idoneos dicant: alij non recte conditos fuisse affirment: alij magnificentius, atque elegantius positos esse vellent: vt eorum impietatem taceam, qui vel cibos corrumpere, vel totam mensam in suam aliorumque perniciem euertere nituntur. O peruersitatem, immanitatem, & stultitiam inauditam! velle mensam ad nostram vtilitatem a Deo opt. max. instructam, & in conspectu nostro positam, coram ipso instructore euertere, & viuificos, ac salutiferos cibos corrumpere, infinitę sapientiæ dispositionem, & ordinem vituperare! De quo nefando

Marginal notes: Hieron. in epist. ad Ephes. 1. — Sap. 8. — Malac. 1.

fando ſcelere, his verbis,quidam conqueſtus eſt propheta. Menſa Domini deſpecta eſt. Sed in hos conſceleratos homines illa Dauidis imprecatio cecidit: Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & ſcandalum: cum inde mortis occaſionem ſumant, vnde vitæ conſeruandæ ſumere debuiſſent: & id quod erat in vtilitatem datum, in ſuam aliorumq; perniciem vertant. Nos vero iſtorum hominum deprauatos mores relinquamus, & conſuetudinem negligamus,& dies noctesq; ad hanc cœleſtem menſam, quam diuina ſapientia domi ſuę, hoc eſt in Eccleſia, nobis parauit, accumbamus; cibos in ea poſitos bene conditos, optimeq; inſtructos eſſe exiſtimemus, quod, ni percipimus, ignorantiæ noſtræ tribuamus: atque hoc præcipuum aduerſus noſtros inimicos, nos anguſtijs opprimere uolentes, a præpotenti Deo præſidium nobis paratum fuiſſe, vna cum Dauide exiſtimemus, & fateamur. Tu vero, o prodige fili, qui paterna relicta domo, in longinquam regionem profectus es, & tuis diſſipatis ſubſtantijs, tua amiſſa libertate, miſera homine indigna ſeruitute oppreſſus, porcorum ſiliquis veſceris, paternam domum repete, ut eo abundes pane, qui vitam tribuit. Cæcos ergo relinque errores, veram amplexare ſapientiam, quæ te in viam reuocet, ab impijs liberet, a ſeductoribus cuſtodiat, & tranquillum, ac tutum reddat, ſalutemque tibi tribuat. Dic mihi, o dilecte, dilecte, te voco, quoniam neminem odi, niſi

Pſal.68.

Orig. lib. 8. in epiſt. ad Rom.

Pſal.22.

Luc.15.

Epiphan. falsas opiniones, & in pios doctores, & Deum ipsum teterrimas blasphemias, pro te autem preces fundo, vt veritatem agnoscas, vt oculos aperias, ut lucem uideas, vt ad salutares doctrinæ fontes conuoles, & in domum sapientiæ te recipias: dic, inquam, cur corruptum panem a corruptis hominibus sumis? & lutulentam aquam, a cœnosis riuulis hauris? ab hominibus videlicet ex cęno, & omnium scelerum colluuione natis: qui recens ex latebris & tenebris, tanquam Ecclesiæ pestes, & reip. Christianæ furiæ, eruperunt, ad omnia humana atque diuina conuellenda, & conquassanda; ad extinguenda omnia iura, & instituta maiorum; ad communem pacem perturbandam, & ciuitates, ac populos euertendos: qui suis facibus tot aras, tot sacella, tot templa, tot loca sacra, pietatis monumenta maiorum, tot laboribus impensisque exædificata, incenderunt, & solo æquarunt: qui se omnibus corporis voluptatibus dederunt, earumque se quasi magistros alijs præbuerunt: qui quasi gurgites & voragines Christi patrimonium, suo sanguine emptum, deuorarunt, illibatasque Ecclesiæ opes in profundissimum suarum libidinum abdomen profuderunt: qui eos doctores damnant, qui diuina oracula elucidãt, obscura mysteria explicant, & eam doctrinam, vnde nostra salus, Ecclesiæ status, & Christina religio pendet, confirmant, defendunt, amplificant: qui concionatores instituunt, animarum curatores informant, pastores ad pascendum

idoneos

idoneos reddunt, vt ſciant docere ignorantes, inſtruere ſimplices, redarguere improbos, & erigere lapos: qui obſcura illuminate, confuſa diſtincte, perplexa explicate, diſperſa concluſe, & omnia ad intelligendum accommodate, tradunt; eos inquam, quorum doctrina tot annos vſa eſt Eccleſia. Et quæ tandem noua lux iſtis nouis hominibus de nouo, illuxit, vt ea viderint, quæ per tot ætates in iſtis locis viri pietate & doctrina præſtantes non uiderunt? O cœca & ſtulta olim Germania! ſi cœca & ſtulta tunc appellari poterat, ea prouincia, quæ illuſtria & ſapientiæ, & religionis protulit exempla, & clariſſima virtutum lumina, ſi vnus Lutherus ex incubo, vt quidam ſcribunt, natus, ab eodemque, vt ipſe aliquando de ſe ſcripſit, edoctus, ex qua vna bellua tot enata ſunt monſtra, plus paruo temporis ſpatio vidit, ſi quid tamen videre potuit is, cuius oculos, ira, furor, auaritia, libido, & ſuperbia magnopere præſtrinxerunt, quam per tot ſęcula, tot inſignes genere, pietate, & doctrina viri, non viderunt. Sed ne longius, contra noſtrum inſtitutum, hoc in loco noſtra euagetur oratio, ad te reuertor, o dilecte, teque oro, atque obſecro, vt ad teipſum reuertare, & eos reijcias magiſtros, quos Deus non miſit, quos nulla auctoritas approbauit, quos omnium oculi fugiunt, aures reſpuunt, animi aſpernantur, & recordatione ipſa perhorreſcunt; quorum falſæ opiniones quotidie extinguuntur, & nefarij conatus comprimuntur: atq; ijs

pascare, ijs delecteris, ijs perfruare probatis, integris, salutiferisque cibis, quos tibi sapientia diuina domi suæ, quæ est catholica Ecclesia, per suos doctores proponit.

Exponuntur varia sacræ doctrinæ nomina, figuræ, ac similitudines, ex quibus eius præstantia demonstratur. Cap. VII.

MVLTO plures sunt, quam quæ a nobis hactenus explicatę fuerunt huius cœlestis doctrinæ insignes appellationes; quas, si sigillatim percensere, ac exponere vellem, integrum profecto conficerem volumen. Sed quoniam, vt iam supra scripsi, in huius opusculi confectione, potius aliquot locos, quasi digito longe indicare, quam singulos pluribus verbis exponere mihi propositum est; ideo hoc capite non nulla alia nomina, & quasdam figuras, siue allegorias, ac etiam aliquot similitudines, quibus hæc theosophia explicari solet, breuiter perstringam. Quę omnia, si quis vberius, ac ornatius tractare voluerit, habebit ex ijs, quæ nos proponemus, campum latissimum, in quo fuse lateq; eius excurrat oratio. Vocatur ergo ob mysteriorum vim, rerumque in ea contentarum præstantiam, margarita. Neq; mittatis, dixit Dominus suis
Mat. 7. Apostolis, margaritas vestras ante porcos, hoc est rerum diuinarum notitiam indignis nolitis tradere. Gladius, quia omnia superflua resecat,

eat, & vsque ad ipsas medullas penetrat; quo qui sunt accincti, bella spiritualia gerunt. Ignis, quia suo calore tepida corda inflammat, & a mundanis fęcibus expurgat. Ideo discipuli Emmaus proficiscentes, hoc igne calefacti, inter se dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Onus & virga, ob prophetias comminatorias, quibus grauissimas pœnas contra sceleſtos homines minatur. Mare, & quidem magnum & spatiosum manibus, hoc est finibus, varijs videlicet mysteriorum, & sensuum recessibus, in quo omne genus piscium natat. Cœlum, siue cœli, qui enarrant gloriam Dei, quorum loquelæ iam ad omnes peruenerunt nationes. Lignum vitæ, quia spiritalem uitam conseruat. Et ne plura nomina referam, ob varios mirificosque effectus, ac perfectiones, regius Propheta psalmo centesimo decimo octauo, in quo latissime & ornatissime huius cœlestis doctrinæ laudes prosequitur, viam, testimonia, mandata, iustificationes, timorem, legem, præceptum, eloquium, iudicium, lumen, & verbum eam appellat: quarum appellationum rationes, nihil est cur hoc loco afferam. Atque de nominibus hæc dixisse sufficiat. Nunc aliquot illustriores figuras, siue allegorias attingamus. Hic est paradisus voluptatis, quem Deus plantauit a principio, in quo hominem posuit, vt in eo operaretur, & custodiret illum. Hic est fluuius, qui egreditur de loco voluptatis ad irrigan

Ephes.6. Luc. vlt. Isa.11. Psal.103. Phil. Presb. Gen.1.

dum paradisum, qui inde diuiditur in quattuor
Cant.3. capita. Hic est lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Isräel: omnes tenentes gladios ad bella fortissimi, & vnusquisque ensis super femur suum propter timores
Gen.1. nocturnos. Hęc est terra germinans omnem herbam virentem & facientem semen suum.
Exod.14. Hæc est columna ignis, quæ populo in deserto iter facienti, ignotam de nocte commonstrabat viam: dum eius inimici tenebrarum patiebantur
Gen. 16. carcerem. Hæc est Sarra, quæ tanquam domina Agar, idest humanam scientiam affligere, hoc est, vt pie eleganterq; Clemens Alexandri-
Lib.3. Strom. nus exposuit, corrigere & admonere debet. Hęc est illa virgo, quæ quæsita fuit Dauidi ob senectutem
Hieron. ad Nepo. iam frigescenti, qua cum dormiens, posset calefieri. Hæc est illa Regina Esther, quam pedisequæ comitantur; quarum aliæ ad latus adsistunt, quibus innititur: aliæ vero retro sequentes, procidentia in humum indumenta
Cant.4. gestant. Hæc est turris Dauidis, quę ædificata est
1.Reg.23. cum propugnaculis: eiusdem cythara, cuius so-
Iud.15. no pellitur Dęmon: eiusdem funda, qua Goliath prosternitur: & Sansonis maxilla, qua maxima inimicorum editur strages. Hoc est illud manna cœlo delapsum, quod in se omnem saporem & suauitatem habet; quo Dei populus in huius
Aug. ser. 38. ad Frat. mundi deserto nutriri debet. Hoc est illud labrum æneum in quo lauantur Aaron & filij
In Leuit. eius, cum ingrediuntur sancta sanctorum. Hoc denique, vt eleganter Isychius scripsit, est sacrificium

cium similæ sine fermento, cuius pars apud altare comedenda est. Ex multis autem similitudinibus, quibus sancti patres & diuina oracula huius sapientiæ vim atq; naturam exponunt, non nullas hic breuiter recensebimus, vt pio lectori occasionem adnotandi alias præbeamus. Est ergo sacra doctrina veluti quoddam pelagus & mare, mysteriorum altitudine profundum, vnde fluunt, & quo refluunt omnes omnium scientiarum fluuij: quod nunquam exhauriri potest: in quo margaritæ latent preciosissimæ. More ergo natantium, ait Chrysostomus, nos ipsos pelagi profundo committamus, vt latentes margaritas perquiramus. Est cœlum quoddam, quod aspectum periucundum præbet, varijs stellis cœlatum, & luminibus sculptum, quibus omnes in partes vim suam altricem diffundit. Est floridum pratum, in quo sunt flores varij, bene olentes, visu pulcherrimi, & ad corporum curam necessarij. Est aromataria taberna, in qua idonea pharmaca, tum ad sanitatem præseruandam, tum ad omnes morbos curandos, sunt parata. Est veluti quoddam speculum, pellucidum & immaculatum, quod omnia, tam integra & pulchra, quam viciata & turpia demonstrat: quia scilicet laudanda & vituperanda, sine vlla personarum consideratione, laudat, & uituperat, & non solum externa, sed etiam interna repræsentat. Est gladius anceps, utrinque acutus, qui ad ipsas vsq; medullas penetrat: ad quam efficacitatem de-

Hom. 33.

Hom. 2. de orat.

Chrysost. hom. x. de diuite & paupere.

Hieron. epist. ad Demet.

Hebr. 12. Iere. 23.

ſignandam, etiam malleo conterenti petram comparari ſolet. Eſt veluti ager, in quo latet thesaurus, quem qui inuenit, vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Eſt panoplia quædam, in qua omne genus armorum ſpiritalium ad bella contra noſtræ ſalutis hoſtes gerenda aſſeruatur. Eſt ſimilis pulcherrimo palatio, in quo ſunt aditus ampliſſimi, aulæ ornatiſſimæ, cubicula affabre extructa, & uarijs ſignis, tabulis, auletis, omnique domeſtico cultu exornata, horti denique ad omnes delitias capiendas mirifice culti. His itaque & alijs ſimilibus, eius doctrinæ naturam, quæ nulli rei creatæ ob ſuam maximam excellentiam idonee comparari poteſt, ſacri ſcriptores explicare conantur. Et cum de eius nominibus ſatis pro inſtituto noſtro dixerimus, ad cauſas effectusque explicandos, vnde quantum ſit in ea ſplendoris & dignitatis magis perſpicuum fiet, ſtylum conuertamus.

Orig. Mat. 13.

Sedul. in c. 9. epiſt. ad Rom.

Quanta ſit ſacræ doctrinæ præſtantia a materia ei ſubiecta demonſtratur. Cap. VIII.

INTER ea, quæ doctrinam aliquam laudibus, & cognitione dignam eſſe demonſtrant, principem locum, vt omnes ſapientes docent, ſubiecta obtinet materia. Id, ſi ſpectemus, ſine controuerſia, ſcientiarum præſtantiſſima, & cognitione digniſſima ſacra Theologia cenſenda erit: quod etiam ſtultiſſimus quisque fateretur.

Ariſto. 1. de anima. c. 1.

Verum,

Verum, & ſi id luce meridiana clarius, manifeſtiusque ſit: tamen, cum ſint non nulli, qui tantam lucem non uident, eas tenebras, quas oculis offuſas habent, diſpellere nitemur: vt omni remoto impedimento, quantis in tenebris verſentur ij, quibus diuinæ ſapientiæ lumen, nondum illuxit, apertiſſime uideant. Ac quidem certe homini ingenuo liberaliterq; educato, ſeq; rerum cognitione perficere cupienti ſatis eſſet, illud generatim intelligere, Chriſtianę philoſophiæ ſubiectam materiam, eſſe Deum ipſum, non quocunque modo cognitum, ſed ſupernaturali reuelatione manifeſtatum: qua ratione, multo plura, multoque certius, quam humana inueſtigatione, de Deo cognoſcuntur: cum quidquid naturæ viribus de diuina vi attingitur, ſit quiddam exiguum, atque non omni ex parte certum. Quod facile intelligeres, ſi animaduerteres quam pauca, & quam dubie in ſua Theologia de rebus diuinis philoſophorum princeps dixerit Ariſtoteles. Hic materia, nulla dignior, nulla præſtantior; nulla illuſtrior homini ad cognoſcendum nato, proponi potuit: cuiuſmodi eſt ipſa diuina vis, ſumma immenſaque maieſtas, æternum numen, per ſe bonum, per ſe verum, per ſe exiſtens, per ſe ſapiens, rerumque omnium fons & origo: a quo tantum perfectione & præſtantia aliæ res diſtant, quantum vmbra a perfectione corporis, unde proficiſcitur, abeſt: ita vt omnes creaturæ Deo comparatæ, vere, umbræ, ne dicam, nihil, exiſtimentur. Hu-

manæ igitur ſcientiæ,quę ſolum in creaturarum cognitione conſiſtunt, in vmbra verſantur: at vero Theologia ipſum, vt ita dicam,corpus, ipſamque veritatem contemplatur. Deus eſt ipſum eſſe, ipſa bonitas, ipſa veritas, ipſaque perfectio: creaturæ autem ſunt ſimilitudines quædam obſcuriſſimæ bonitatis, ueritatis, eſſentiæque diuinæ. Quid igitur magis ſimilitudinum, quam rei ipſius cognitione oblectamur? Cunctæ res creatæ, vt ipſis ſolis conſideratis aliquid tribuamus, ſunt quaſi veſtimenta quædam Dei; ideoque pſalmographus de Deo loquens, cecinit: Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine, tanquam veſtimento: Deus vero eſt veluti res ipſa veſtibus induta. Vtrum ergo melius & dignius eſſe putabimus, in ſola veſtium inſpectione verſari, an in ipſum veritatis corpus cogitatione penetrare? Cætera omnia ſicut veſtimentum veteraſcent: at vero Deus ſemper idem eſt, & in perpetuum permanet. Si ergo harum rerum caducarum, & infimarum cognitione humana mens aliqua ratione perficitur: ſi earum notitiam nemo eſt, qui non affectet: ſi omnes aliqua parte eam adipiſcuntur: ſi interdum maximo ardemus deſiderio cognoſcendi rerum etiam minimarum cauſas & proprietates: ſi, cum quiduis, etiam leuiſſimum, de nouo didicerimus, multum lætamur; cur magis rerum ſublimium, & æternarum notitia mentem noſtram perfectiorem reddere non curamus? Cur rerum præſtantiſſimarum cognitionem

Pſal. 103.

Pſal. 10c.

tionem vehementius non concupiſcimus, & vt eam conſequamur, non ſtudioſius contendimus, vt ea adepta longe maiori delectatione afficiamur? Si tantam voluptatem, vt Philoſophus ſcripſit, capimus, cum per demonſtrationem diametrum conſtæ aſymetrum eſſe intelligimus, quanto maiorem caperemus, ſi cœleſtium ſpirituum naturam, & ipſam vim diuinam immenſam & perfectiſſimam ſpecularemur? Quam profecto voluptatem & lætitiam capiebat is, qui hunc in modum cecinit: Lętabor in mandatis tuis, ſicut qui inuenit ſpolia multa: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Siquidem, vt ſupra etiam ſcripſimus, &, vt non ſine vtilitate repetamus, quod eſt perpetua memoria dignum, omnes humanæ diſciplinæ, ſi ab hac diuina ſapientia ſint diſſociatæ, ſi huic reginæ tanquam ancillæ non inſeruiant, vanæ ſunt, fabulationes ſunt inſipidæ & inſuaues ſunt. Ad quas fabulationes ij profecto ſe conuertunt, qui veræ ſapientiæ perdiſcendæ, commentitijs rebus occupati, nullam ſuſcipiunt curam: Vt merito dixerit ſapiens, vanos eſſe homines in quibus non eſt ſcientia Dei. Auerte igitur, o Domine, oculos noſtros, ne iſtam videant vanitatem. Non agitur itaque, vt rem hanc planius exponam, in hac diſciplina de agrorum ſatione, ſtercoratione, arborum inſitione, animalium paſtione, apiumue cura: quibus de rebus agricultura agit: quæ tamen ſemper ita honeſta, atque ingenuo homine ita

Pſal. 118.

Pſal. 118.

ne ita digna habita eſt, vt Romani, quorum geſta & mores, nulli vnquam populi ſunt aſſecuti, quorum virtutibus, quaſi quibuſdam ſtellis, omnes micant hiſtoriæ, apud quos non ſolum in vrbe, ſed etiam in agro, Senatores, Imperatores & Dictatores erant, cum quempiam, laudare volebant, dicerent, Bonus vir, bonusque colonus: quæ ars multas & maximas humano generi vtilitates affert. Non de humanorum corporum curatione; & vt planius loquar, non de pharmacorum varietate, non de venenis, non de vrinis, & de excrementis, de quibus agit medicina, quam opes afferre dicunt. Non de iure perſonarum, rerum diuiſione, & acquiſitione, perſonarumq; ſucceſſione, atque actionum, quibus homines inter ſe altercari ſolent, varietate: & vt priuatim loquar, non de alluuionibus, ſtillicidijs, torturis, ſtipulationum formulis, & cloacis, de quibus agit iuriſprudentia, quam honores ſecum afferre aiunt: Non de caſtrametandi ratione, acierum ordinatione, machinarum ſtructura, vrbium expugnatione, & populorum oppreſſione, de quibus rebus ars militaris agit, quæ gloriam, vt dicitur, gignit. Non item de corporum dimenſionibus, linearum concurſu, & efficientia, numerorum affectionibus, vocum ſymphonia, cœlorum conuerſione, ſyderum acceſſu, & receſſu, de quibus diſputant mathematicæ diſciplinæ, quæ Principibus dignæ eſſe putantur. Non denique ullis de rebus, quas humanæ ſcientiæ humano modo conſiderant. Sed

M. Cato Cice. de ſen. Pro S. Roſ.

Cic. lib. 1. de leg.

agitur

agitur de Deo ſupernaturali lumine cognito, de diuinis attributis, & operibus: de bonitate, veritate, unitate, ſcientia, prouidentia & prędeſtinatione diuina: de Sanctiſſima Trinitate: de omnium rerum molitione: de angelorum & hominum natura, & facultatibus: de omnium virtutum, tum acquiſitarum, tum infuſarum principijs, cauſis, partibus, & effectis: ut de libero hominis arbitrio, de legibus, de gratia, & merito: deq; omnium hominum ſtatibus: & deniq; de Verbo diuino carni vnito, omnibusq; ſacramentis diuinitus inſtitutis. Habes itaque, Chriſtiane lector, quo egregie te oblectes, vbi prudenter operam ponas, vnde felicitatem tuam optime intelligas. Hic enim de baptiſmo, quo es renatus, de confirmatione qua perficeris, de euchariſtia qua nutriris, de pœnitentia qua ſanaris, de matrimonio tibi in remedium concupiſcentiæ dato, de ordine quo ſacris initiaris, ut perpetuo Deo ſacrificia & orationes offeras, ac poſtremo de tua æterna felicitate agitur: vt interim omittam ea omnia, quæ in ſingulis ſcripturæ ſacræ libris explicandis copioſe tractantur. Sunt ne iſta fortaſſe humilia, friuola, & inutilia? an potius ſublimia, ſeria, & maxime fructuoſa, ac proinde omni ſtudio, omni cura, atq; cogitatione digniſſima? Quid? quod omnia, quæ in alijs ſcientijs conſiderantur, uel ad hanc unam referuntur, uel nobiliore quadam ratione, in ea tractantur. Hic nanque de animorum cultura, de morborum ſpiritalium curatione,

de

de diuinis perſonis, de bonorum cœleſtium diuiſione, de æternæ hæreditatis acquiſitione, de humanis actionibus, quibus bene beateque viuitur: de ſpiritali militia, cœli expugnatione, & æternæ victoriæ acquiſitione: de Dei, æternorumque bonorum magnitudine, de cœlo empyreo, de beatorum numero, ac denique de virtutum omnium concentu & proprietatibus diſputatur. In hac itaque vnica doctrina, cum ſit participatio quædam ſapientiæ diuinæ, eminenti quadam ratione, quidquid eſt in alijs reperitur: ſicuti in Deo opt. max. res omnes repeuntur. Hic enim Metaphyſicæ, Mathematicæ, Phyſiologię, Ethicæ, Iuriſprudentiæ, Dialecticæ, Rhetoricę, Poeticæ, & Hiſtorię materia continetur, vt paulo poſt a nobis planius demonſtrabitur. In hac vnica ſcientia, chriſtiane lector, vt ſemel intelligas, quanta cura a te colenda ſit, de Deo parente tuo, de Chriſto inſtauratore tuo, de vita, & moribus tuis, de ſalute & incolumitate tua, de honore, fama, & gloria tua, & vt ſemel dicam, de omnium tuorum bonorum acquiſitione & conſeruatione agitur. Huius itaque doctrinę materia, ſi eam tractaueris, te ſapiētem, religioſum, & hilarem reddet: nunquam in ea verſatum fuiſſe te pœnitebit: vt multos qui in alijs diſciplinis cognoſcendis inſudarunt, ſæpiſſime pœnituit. Metaphyſica, vt vir doctus & ſanctus ſcripſit, cum nudas intelligentias conſideret, eſt inſipida, & nullum ſaporem affectui affert. Mathematica, quia a materia &

Bonau.

a motu abstrahit, nec deuotionis sensum, nec bo norum operum motum efficit. Physica, quæ res materiæ coniunctas tractat, sua obscuritate intellectum offuscat, & propter dubitationem, & causarum incertitudinem, animum contristat: ob quam rem Aristoteles rerum naturalium alias peritissimus, cum causam fluxus & refluxus euripi ignoraret, se in profundum mare deiecit. Denique, moralis scientiæ finis, cum sit quędam finita & inchoata felicitas, non est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & quod necessario sequitur, nec vera beatitudo. Quæ igitur scientia, vt hunc concludamus locum, a materia subiecta sumptum, est, aut esse potest christiana philosophia præstantior, & illustrior? cum ipsum omnium aliarum rerum fontem & finem supernaturali lumine illustrata, sibi cognoscendum proponat, & de eo ea cognoscat, quæ nulla uis creata vnquam attigit: quæ præterea dignior, vt toto pectore, omnibus animi neruis per totum vitæ tempus tractetur, & perdiscatur? quæ deniq; mortalibus delectabilior, fructuosior, ac magis necessaria? cum nemo sine hac scientia, (spiritum diuinum testor) Deo placere possit: & per eam sanati sint, quicunq; placuerint Domino a principio?

Iustin. in apolog. Bonau.

Sap. 9.

Quanta sit sacræ doctrinæ præstantia a multarum artium ac rerum cognitione, quam requirit, & ab eius certitudine ostenditur. Cap. IX.

ILLÆ potissimum disciplinæ & artes pluris ab hominibus fiunt; illisq; ab optimis ingenijs opera libentius datur, ad quarum consecutionem plurimarum rerum notitia est necessaria. Ex quo loco oratorum princeps M.Tullius, eloquentiam, quam sine maximarum artium doctrina, vt docte apud eundem disputauit Crassus, acquisiuit nemo, summopere commendauit. Id, si spectare volueris, nullam profecto inuenies facultatem, quæ pluribus scientijs, & artibus instructum auditorem & professorem requirat, quam hæc sapientia, quam laudare conamur: quod hoc capite demonstrare nitemur: vt hac veritate cognita, nemo sit præclaro, egregioque ingenio ornatus, qui eius perdiscendæ desiderio non flagret, eamque assequi non studeat: & vt nihil, aut certe parum se scire existimet quisquis hanc vnam, quę suo sinu omnes constringit scientias & artes, ignorauerit. Demonstrata itaq; huius doctrinæ præstantia, ex obiecto, siue materia, in qua versatur; rursus idem ex subiecto in quo reperitur, hoc est ex parte intellectus eius, qui hanc facultatem sit adepturus, qui debet esse plurimarum rerum cognitione informatus, pau-

Cic.lib.1. de orat.

cis demonſtrabo. Ad hanc itaque diſciplinam perdiſcendam, primum requiritur ingenium viuidum, acutum, perſpicax: ad comprehendendum velox, ad excogitandum ſubtile, & ad ratiocinandum expeditum. Id ſignificaſſe videtur ille, qui diuinitus a Deo ſapientiam accepit, cum dixit: Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Hac naturæ bonitate ſuppoſita, requiruntur deinde humanæ artes, & initio, trium ſaltem linguarum, latinæ, græcæ, & hebraicæ non mediocris notitia, ſi quis pro dignitate in quauis huius doctrinę parte uoluerit uerſari. Quam ſit trium linguarum cognitio ei, qui bonus Theologus ſit futurus, utilis, ne dicam neceſſaria, late demonſtrare poſſem, innumeras fere commoditates, quę ex ea referuntur, recenſendo, quod alio oportunio re loco, Deo fauente, faciam. Deinde, in explicatione ſacræ paginæ nunquam, meo quidem iudicio, omni ex parte ſuum explebit munus, maxime in quorundam librorum expoſitione, qui oratoriam facultatem non percallueris: qua diuini ſpiritus artem in ſacris libris conficiendis, animaduertat. Siquidem, in canonicis ſcripturis ſunt omnia dicendi artificia, omnes inuentionis loci, omnes elocutionis tropi, omnia ſchemata, ac lumina orationis omnia: Exordia, narrationes, confirmationes, amplificationes, expolitiones, epilogi, & omnis generis ſuis numeris abſolutæ orationes. Huc pertinet etiam aliqua pœticæ artis notitia; cum in ijſdem libris multa

Sap. 8.

ta ſint carmine conſcripta, & multa poemata artificioſiſſime conflata. Ad hęc, inutiliter multos ſacros libros leget, & male explanabit, qui in profanis,& eccleſiaſticis hiſtorijs non fuerit valde verſatus. Poſtea, qui Dialecticam ignorat, difficultates, quæ in diuinis oraculis exponendis naſcuntur, quo nam modo enucleabit? quo modo ea ab aduerſariorum calumnijs defendet? quo modo ſententiarum vim percipiet? quo modo earundem ordinem & conſequentiam videbit? vt merito quidam vir doctus dixerit, ignorantiam Dialecticæ perturbare puritatem eccleſiaſticæ diſciplinæ. Ideo non ſine cauſa Auguſtinus, & Clemens Alexandrinus hanc facultatem laudarunt,& chriſtianæ philoſophię profeſſori maxime neceſſariam eſſe docuerunt. Prætetea, qui per phyſiologiam cœlorum,ſyderum,elementorum, lapidum, herbarum,& animalium naturam non cognouerit,innumera fere diuinæ ſcripturæ loca, in quibus his de rebus ſit mentio, quonam modo explicabit? Qui hac ſcientia caruerit, quo pacto de rerum creatione, diſpoſitione, procuratione,de æternitatis æuique natura, de diuinarum perſonarum proceſſione poterit aliquid diſputare? De morali vero Philoſophia nihil eſt quod dicam? quæ Theologiæ candidato adeo eſt neceſſaria, vt de humanis actionis, vt ad Theologum pertinet, ſine ea ſtatuere nihil queat. Quid poſtea de humana Theologia, quam Metaphyſicam appellant, exiſtimandum eſſe cenſeres?cum ipſa quoque

Pet. Dam. Contra Academ. li.3.c.12. Lib. vlt. Strom.

que

que ſit quædam diuina ſapientia? ſine qua æterni numinis cœleſtiumque ſpirituum natura, attributa, proprietates, bene percipiet, aut explicabit nemo. Multa ſunt inſuper in ſacro codice loca, quæ ſine aliqua Aſtrologiæ notitia, nec recte intelligi, nec clare explanari poſſunt: vt cum de cœlorum motibus, de vario ſyderum curſu, deque temporum varietate habetur ſermo. Sine Geometria, ſub qua etiam Architecturam comprehendo, neque arcæ Noe fabricam, nec tabernaculi artificium, nec templi Salomonis ſtructuram, nec terræ promiſſæ diuiſionem & deſcriptionem quiſpiam recte intelliget, aut alijs exponat. Quantum etiam Arithmeticæ cognitio huic ſcientiarum Reginæ inſeruiat, ij norunt patres, qui numeros in ſcriptura poſitos diligenter perpendendos, & in eis occulta myſteria quærenda eſſe exiſtimarunt. Et vt hunc locum tandem concludamus, nulla eſt fere ars, nulla doctrina, cuius cognitio in ſacrarum literarum ſtudioſo interdum non deſideretur: veluti agriculturæ, medicinæ, artis militaris, & quod pene exciderat, vtriuſque iuris, imperatorij ſcilicet & pontificij ſcientia: qua qui carent, non video, qua ratione theologi munus in multis huius theoſophiæ partibus, queant ſuſtinere. Vt cum de legibus, de iudicijs, de contractibus, de matrimonio, de pœnitentia, atque de cenſuris habendus eſt ſermo. Itaque Theologo & ſacræ ſcripturæ interpreti, nunc Agricolæ, nunc Medici, nunc Militis, nunc Poetę, nunc Rheto-

Augu. Clem. Alex.

ris, nunc Arithmetici, nunc Geometræ, nunc Aſtrologi, nunc Philoſophi, nunc Iuriſconſulti perſona ſumenda eſt. Nec quiſpiam hic in eam opinionem eat, vt exiſtimet hanc ſcientiarum reginam, ita his artibus egere, quaſi ſine eis conſiſtere, ſeque tueri nequeat, cum ex ſe ſuaq; natura aliena non egeat ope, ſibique ſit ſufficiens: ſed nos ijs artibus fulti eſſe debemus, cum ob noſtram imbecillitatem, tantam amplitudinem complecti, tantumque ſplendorem intueri minime poſſimus, ni per humanas ſcientias noſtrę augeantur vires, acutioreſque reddantur oculi. Quare, vt omnes creaturæ ſunt veluti præpotentis Dei famuli, per quos hunc lucentem mundum, ad maiorem ſuæ maieſtatis, poteſtatiſque ſignificationem gubernat, cum tamen ſe ſolo, id efficere queat; ita omnes humanæ artes ſunt huius reginæ miniſtræ, quas ad nos vocandos mittit, quas in ſuos fines dirigit, quas ſi quid peccauerint emendat, quas ad ſua munera obeunda, hoc eſt ad res diuinas explicandas, ſuo iure adhibet. Et hinc eſt, quod non nulli de ratione, qua omnes humanæ artes ad Theologiam referri queant, libros conſcripſerunt. Omnes itaque humanæ diſciplinæ hanc ſuam, quaſi ancillæ, comitantur dominam: quarum aliæ, ad eius maieſtatem nobis magis manifeſtandam, eam incedentem ſuſtentant: aliæ vero pone ſequentes, procidentia in humum veſtimenta, geſtant. Quamobrem, ſi eloquentia ſummis laudibus digna ſemper exiſtimata fuit, quod omnium bo-

Baſ.
Bonauēt.

narum maximarumq; artium cognitionem requirat, vt viri docti & mea quidem sententia vere existimarunt; quanto magis hęc doctrina omni laudum genere digna iudicanda erit? cum is, qui ea debet esse ornatus, de rebus omnibus, non solum probabiliter, & populariter, vt Orator, sed etiam scienter, & sapienter disputare debeat. Immo, vt ipse romanæ eloquentiæ pater testatum reliquit, præcipua eloquentiæ pars est sapientia, cuius, vt idem scripsit, quasi comes & ancilla est eloquentia, quæ sine sapientia, est infantia & stultitia quædam. Ex quo nascitur, vt qui verborum copia abundant, si sint sententiarum, quas ipsa suppeditat sapientia, inopes, non diserti, sed loquaces: non eloquentes, sed infantes: non oratores, sed clamatores & rabulæ nominentur. Quare, potest quidem sapientia sine eloquentia consistere, tanquam domina absque ancilla: at vero eloquentia sine sapientia non item: cum composite & apte sine sententijs dicere, de optimi oratoris & sententia, sit insania. Et quoniam paulo ante hanc scientiam omnes alias dirigere, & corrigere diximus, quod eius est, quæ sit omnium scientiarum certissima, placet hoc loco de huius sapientiæ certitudine, ne integrum caput hac de re cõficere cogamur, aliquid breuiter interserere. Eam igitur laudem, quam a certitudine ex omnium sapientum sententia, scientiæ sibi vendicant, in hac nostra, sapiens desiderabit nemo. Quoniam, si ea, quæ a rebus ipsis sumitur certitudo, spectetur,

In part.
In orat.

Cic. in orat.

Arist. lib. 1. de anima. c. 1.

tur, quæ firmior & certior doctrina esse potest? cum sit de rebus æternis, nulli mutationi & vicissitudini obnoxijs: cum ea tractet, quæ partim sunt ex se necessaria, partim vero diuinæ prædictioni, cui non potest subesse falsum, subiecta: vt potius vniuersæ creaturæ, quam quæ in hac doctrina traduntur, deficere queant. Ex hac itaque parte, ita est certa, vt nulli alij cedat, immo quam longissime omnes alias antecellat. Est præterea omnibus alijs multo certior, quod cæteræ scientiæ lumini innitantur finito, errorique subiecto; humanæ videlicet rationi: quam qui errori expositam non esse affirmaret, is profecto in grauissimo versaretur errore. At vero hæc nostra, vnicam habet firmissimam, minimeque fallacem rationem, per quam omnia cognoscit, & omnibus veritatibus assentitur, auctoritatem nimirum Dei dicentis, & in nobis loquentis: qua nihil firmius, nihil stabilius est. Etenim solus Deus verax, & immutabilis, & omnis homo mendax. Et denique, ne in re certissima demonstranda longior sim, si certitudinem ex parte eius, qui veritatem tenet, spectare voluerimus, qui sunt hac disciplina imbuti, ita ad cognitas veritates adhærescunt, vt potius omnem humanam demonstrationem, & id etiam ipsum, quod sensu ipso percipitur, negare sint parati, quam quod per hanc doctrinam didicerunt; atque adeo, potius vitam cum sanguine profundere, quam semel cognitam veritatem deserere. Quæ res innumeris constantissimorum Martyrum

Leo serm. 7. de nat. Martial. epist. 2. ad Tolos.

rum

rum posset confirmari exemplis: quos non carceres, non fustes, non lapides, non catenæ, non laminæ, non præcipitia, non bestiæ, non ignes, non gladij, nulla denique tormentorum, & supliciorum genera ab hac doctrina, cuius etiam causa omnem humanam sapientiam pro stultitia habuerunt, diuellere potuerunt. Hac igitur laude a certitudine sumpta, hæc scientiarum domina cohonestanda est. Quod autem supra, de comitatu omnium bonarum artium, quibus stipata incedit, dicebamus, fortasse in causa est, cur rari sint, qui ad eam se conferant, cum pauci istam scientiarum encyclopędiam se consequi posse sperent. Et sane magnum est nomen, magna species, magna dignitas, magna huius sapientię maiestas: quam omnit ex parte humani pectoris angustiæ non capiunt, animi egestas non recipit, & ingenij infirmitas non sustinet. Verum, ne quis vllo prætextu suam ignauiam & negligentiam contegere queat, infra, idoneo loco, & omnibus ingenijs esse accommodatam, & facile acquiri posse demonstrabo. Quod est in hac doctrina admirabile; cum ad humilia ingenia se deprimat, & nihil de sua maiestate amittat; & sit simul parua & magna; nec paruitas magnitudinem, nec magnitudo paruitatem tollat; immo vtraque mirum in modum vtranque demonstret. Quare, sicuti Deus in altis habitat, & tamen humilia respicit in cœlo & in terra; ita hæc ab ipso participata sapientia. Et vt diuinum Verbum serui formam accipiens, diuini-

Psal. 114.

Phil. 6.

diuinitatem non amisit; ita hæc regina, licet omnibus sese quasi ancillam accommodet, de sua maiestate amittit nihil. Quamobrem, vt hunc concludamus locum, cum in hac rerum pulchritudine nihil sit homine præstantius, & in homine nihil sit ipsa mente dignius, & inter omnes hominum mentes, nulla sit illustrior, & celsior, quam quæ omnium præclarissimarum artium fuerit cognitione exornata; nihil erit profecto Sacra Theologia magnificentius, nihil admirabilius, quæ humanam mentem tot artibus & scientijs excultam, tanquam sibi propriam, & accommodatam sedem requirit. Vbi,
Psal.44. veluti Regina in vestitu deaurato, idest rerum diuinarum cognitione induta, & humanarum disciplinarum varietate circundata, sedet. Propterea Academici mei Parthenij, vt ij qui potissimum sacra studia colunt, in suum insigne, Theologiam regali habitu in throno sedentem & humanis scientijs & artibus sibi subiectis leges imponentem, pie, ingeniose, sapienterque, sumpserunt.

De sacræ doctrinæ amplitudine, antiquitate, perpetuitate, & integritate. Cap. X.


NTER alia præclara encomia, quibus regius vates, psalmo illo centesimo decimo octauo nunquam satis laudato, ac pro dignitate explicato, diuinam legem commendauit, illud mihi semper

ſemper maximum, atque conſideratione digniſſimum viſum fuit, quo eius immenſam amplitudinem, aliarum vero rerum, & ſcientiarum anguſtiam, explicauit, cum hunc in modum cecinit. Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis: ac ſi dixiſſet, quantumuis omnes aliæ res, ſiue diſciplinæ conſummatæ ac perfectæ videantur: tamen certos habent limites, certis ſunt incluſæ cancellis, finem habent: at vero lex tua, o Domine, nullis eſt circunſcripta terminis, latiſſime patet, in omnes ſeſe diffundit partes. Quam ſpatioſum ſit huius reginę regnum, primum ex eo facile perſpici poteſt, quod multorum librorum in quibus continetur cognitionem & explicationem complectitur: quorum librorum ſinguli, immo ſingulorum librorum ſingula capita, & ſingulorum capitum, ſinguli verſus, & ſingulorum verſuum ſingulæ particulæ, & verba ſingula, ampliorem continent doctrinam, quam omnes omnium artium & ſcientiarum, qui ſcripti iam ſunt, aut ſcribi excogitariue poſſunt libri. Quod, & ſi ijs, quibus, nec de facie quidem, cognita eſt Theologia, paradoxum videretur: tamen id veriſſimum eſſe, ij facile concederent, qui animaduerterent hanc doctrinam dictatam fuiſſe ab eo, cuius intelligentia eſt infinita, & arcana ſunt immenſa. Huc referres ea omnia; quæ non ſcriptura, ſed apoſtolica traditione, tenentur: vt ſunt multa & maxima noſtræ religionis myſteria, quorum tractatio & explicatio quam la-

Pſal. 118.

tiſſime patet. Extenditur deinde huius Reginæ dominium ad omnia dogmata, quæ fide tenenda, vel a Pontifice maximo, vel a quouis Concilio, ab eodem Pontifice approbato, aliquando ſancita fuere, aut ſanciri poſſunt. Cum hæc omnia ab vno eodemque diuino ſpiritu reuelata ſint. At, hæc quæ diximus cuncta ſolum ad huius doctrinæ principia pertinent: quod ſi initia ita ampla ſunt, ſi fons vnde riuuli emanant, eſt ita ſpatioſus, quanta erit, non dicam riuulorum, ſed fluminum inde profluentium amplitudo? Qui tantam animo ſuo magnitudinem complecti poteſt, complectatur: ego vero ſicuti nec oratione, ita nec cogitatione id me præſtare poſſe libentiſſime fateor. Accedat tertio loco ad eandem rem demonſtrandam, tota illa doctrina, quæ ex iſto vaſtiſſimo mare, nec enim fontem, quanuis eius rationem ſuſcipiat, amplius appellare poſſum, emanauit; quæ in Scholaſticorum, & ſacræ ſcripturæ interpetrum libris continetur: quam amplitudinem, innumeræ fere his de rebus ſcribendi formæ, mirum in modum augent. Diuinorum librorum tranſlatores, fuerunt circiter quadraginta: expoſitores vero nullo certo continentur numero: & vt de vnius tantum libelli expoſitoribus mentionem faciamus, in pſalterium circiter centum & quinquaginta ſcriptores commentaria in lucem dederunt. Quorum alij Hebræi, alij Chaldæi, alij Arabes, alij Græci, alij Latini fuerunt: vt nulla doctrina tot linguarum, ac ſcriptorum varie-

varietate, vt hæc nostra gloriari possit. Scholasticorum etiam maior est numerus, quam quiuis Theologus existimaret. Nam, si de ijs loquamur, qui in aliqua certa religione floruerunt, quorum aliqua uiget memoria, licet non omnium scripta extent, aut in lucem edita sint, Franciscana familia vltra triginta protulit, Dominicana paulo pauciores, Carmelitana fere totidem, Augustiniana multos, & ne longum hic catalogum texam, Benedictina, Cisterciensis, Carthusiana, & non nullæ aliæ multos alios. Inter quos non percenseo eos, qui extra religionem hæc studia coluerunt, & scholastico morem theologicam tractarunt. Quamobrem, & scriptorum & librorum copia hoc studium magis abundat, quam quidam, nihil, aut parum in eo versati, existimare solent. Horum omnium scriptorum, alij fecerunt versiones, alij interpretationes, alij paraphrases, alij scholia, alij glossas, alij commentaria, alij sermones, alij homelias, alij conciliationes, alij dubitationes, alij quæstiones, alij articulos, alij centurias, alij controuersias, alij tractatus, alij annotationes, alij meditationes, alij poemata, alij regulas, alij isagoges, alij rapsodias, alij epitomas, alij opuscula, alij compendia, alij denique summas, quorum omnium operum maximus est numerus. Quid? si haberemus omnes libros auctorum omnium, qui de hac amplissima disciplina aliquando, hebraicę caldaicæ arabice, græce, & latine scripserunt? qui vel temporum, vel ad-

uersariorum iniuria periere, & vt vnius tantum Origenis mentionem faciam, is, tot opera scripsisse dicitur, quot vix vnus homo per totam ætatem legeret. Et ne longius in hoc amplissimo de sacræ doctrinæ amplitudine campo progrediamur, hæc breuiter insinuasse sufficiat: nunc de eiusdem profunditate aliquid dicamus.

August. ad Volus. Non minus profundum, quam spatiosum est sacræ doctrinæ pelagus, cuius profunditatem in eo positam esse censemus, quod in ea tot lateant sensus, tot mysteria, tot uariæ & profundæ expositiones, ut nulla vi humana, nulla angelica facultate exhauriri queant. Propterea sancti patres, ad hanc prærogatiuam explicandam, nunc grano sinapis, nunc thesauro, nunc puteo altissimo & perenni fonti comparare solent.

Cyril. In Gen. hom.3. Merito, ait Chrysostomus, thesauro cuipiam confertur diuinarum scripturarum lectio. Nam, sicut ex illo quisquis, vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias; ita & in sancta scriptura etiam in breui dictione variarum sententiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet. Et non solum thesauro sunt similia diuina eloquia, sed fonti quoque largis perennibusque scaturienti fluentis. Vnde etiam, qui ante nos fuerunt pro viribus suis aquas hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neq; sic totum euacuare poterunt, sed magis sic augescunt flumina, & increscunt. Diuinarum literarum profunditas, ac sensuum multitudo inde primum enata est, quod eius auctori,

auctori, tam facile est vno verbo innumeras sen tẽtias significare, quam multis multas: vt sicuti vno verbo omnes creaturas fabricauit, ita vnico verbo, ni ad nostrã imbecillilatẽ sese accommodare voluisset, scripturas condere potuisset. Itaque, vt arbitror, nec singuli, nec omnes expositores simul, qui hactenus extiterunt, aut existere possent, etiam si mundus perpetuo duraret, omnes sensus attingerent & exhaurirent, quos nõ dicam in omnibus scripturę libris, sed etiam vno in loco intelligentia illa infinita diuini spiritus significare voluit, aut potuit. Quare, nemo sit tam audax, vt immensam Spiritus sancti intelligentiam sua cogitatione se metiri posse præsumat: vt si forte nos, qui tardi & hebetes ad excogitandum sumus, aliquem locum considerantes, vnicum tantum sensuum inde colligimus, nullum præterea alium ibi contineri existimemus: vt suspicemur diuini spiritus intelligentiam ita sermonis inopia aliquando arctatam esse, vt vnico penitus sensu astringatur. Oritur præterea tanta sensuum vbertas, tantaq; copia, ex ea prærogatiua, qua hęc vnica scriptura gaudet, quod in ea, non solum verba, & verborum apices, sed etiam res, gesta, & personæ varios nobis subministrant sensus; quod & ipsæ sacræ literæ docent, & omnes grauissimi scriptores con firmant. Verba quidem non solum proprie, sed etiam translate accepta, & quidem secundum omnes translationis modos, varias nobis li terales, seu grammaticas expositiones pariunt.

Psal. 148.

Res vero & gesta, varias sensuum species, & vnius speciei plures sententias gignunt; morales scilicet allegoricas, & anagogicas: quam vbertatem,& fœcunditatem nulla alia habet scriptura. Nascitur præterea sententiarum multitudo ex varijs vtilitatibus, quas ex quouis scripturæ loco colligere nobis licet: quas vtilitates mani-
2.Tim.3. festauit Apostolus, cum dixit, omnem scripturam diuinitus inspiratam vtilem esse ad doctrinam, hoc est ad vera dogmata cognoscenda: ad redargutionem, hoc est ad euertenda & confutanda falsa dogmata: quæ duæ vtilitates ad cognitionem referuntur. Quod vero ad actionem attinet, dixit vtilem esse ad correctionem, quia per eam,quæ corrupta & deprauata sunt emendantur, ac restituuntur, & ad hominem recte instituendum, vt sit perfectus in iustitia ad omne bonum opus paratus. Et quoniam in hac vita varijs molestijs & curis quotidie agitamur, ac proinde consolatione egemus, quæ diuinis
Rom. 15. scripturis commendata sunt, ad nostram consolationem scripta sunt. Itaque nullus occurret in sacra pagina locus ita salebrosus,ita infœcundus, aut sterilis, ex quo sensum aliquem, vel ad doctrinam, vel ad redargutionẽ, vel ad institutionem, vel ad correctionem, vel ad consolationem pertinentem, colligere non liceat. Immo pauca inuenies loca, aut fortasse nulla, vnde has omnes vtilitates,& eiusdem rationis multas haurire non queas. Quod facile demonstrarem, sed in re certa,absque necessitate diutius immo-

rari

rari nolo. Et quod de aliquo verborum ambitu diximus, idem de re, & de historia, siue de aliquo facto dicas. Quare, de diuinis literis ita existimandum censeo, vt in eis nullum dictum, factumue tam nudum, tam simplex, tam tenue, atq; aridum inueniatur, quin aliquid designet, vel aliquod ad salutem nostram emolumentum afferat; vt merito apostolicus vir Dionysius Areopagita, hęc quæ subijciam verba scripserit. Epist. ad Titum. Non enim historiam nudam, sed spiritalem perfectionem continet, & omnis, & vbique oratio. Quod tanta sit diuinorum oraculorũ profunditas, tantaq; vbertas, quantam nos explicuimus, & longe maiorem, quam nec lingua fortasse angelica explicaret, colligere licet ex numero, & varietate expositionum etiam in vnum & eundem locum: quem ita diuersi scriptores tractarunt, vt semper aliquid noui attulerint: ad quod confirmandum hæc luculenta extat Origenis sententia. Tentemus & iam facere illud, Hom. 17. in Gen. quod sapientia commonet dicens, Bibe aquas de tuis fontibus, & de tuis puteis, & sit tibi fons tuus proprius. Tenta ergo & tu, auditor, habere proprium puteum, & proprium fontem; vt & tu, cum apprehenderis librum scripturarum, incipias etiam ex proprio sensu proferre aliquem intellectum, & secundum ea, quę in Ecclesia didicisti. Quod ergo dabis aliud doctrinæ & disciplinæ genus, quod tot sensibus, tot vtilitatibus, & quidem tam abundanter scaturiat? vnde semper aliquid de nouo in perpetuum

tuum tibi haurire liceat, quod vel ad doctrinam, vel ad redargutionem, vel ad institutionem, vel ad correctionem, & consolationem conferant? Sunt itaque nobis diuina eloquia ob doctrinæ amplitudinem, & copiam, & fons, & puteus: in illo sapientiæ abundantia, in hoc profunda mysteria designantur: in illo sensuum profusio, in hoc sententiarum occultatio: ibi aquæ extra terram prorumpunt, hic terra penetratur, vt aquam pertingas: ibi aqua gratis fluit, hic labore inuenitur: ibi gratia diuini spiritus mentem irrigantis, hic industria laborantis ostenditur. Sed quoniam iam eiusdem doctrinæ altitudo nos ad sese vocat, ad eam veniamus, de qua cum ingenij nostri humilitatem longissime superet, pauca dicemus. Quanta ergo sit huius theosophiæ altitudo, vel ex eo cognoscere licet, quod, vt supra diximus, ipsam Diuinitatem sibi cognoscendam proponit, non solum vt sub rationis lumen cadit, non solum secundum eam notitiam, quam creaturæ, quæ sunt diuinæ naturæ vmbræ quædam, nobis subministrant, non solum secundum vnam subsistentiæ rationem, non solum secundum ea attributa, quæ ex rerum molitione & procuratione, aut etiam instauratione cognoscuntur; sed etiam secundum supernaturale lumen nobis diuinitus communicatum, secundum eam nimirum notitiam, quam per seipsum Deus nobis impertiuit, secundum essentię fęcunditatem, & personarum trinitatem, & denique secundum omnes eius proprietates,

Cant.4.

Gileb. ser. 35. in cant.

prietates,& attributa omnia, quæ infinita sunt: cum hæc præcelsa scientia Deum consideret, nō solum vt est primum exemplar, primum efficiens, primus finis, vt prouisor, vt conseruator, vt bonus, vt sapiens, vt iustus, vt redemptor, vt iustificator, vt glorificator, sed secundum omnes infinitas eius rationes, ita vt nihil altius, nihil sublimius, nihil eminentius,nihil celsius humanæ menti cognoscendum proponi possit, cum Deum vt Deum, hoc est Deum secundum omnem rationem,quam infinita illa vis immensaque maiestas continet, & sub eandem, considerationem, sub quam a beatis in cœlo cognoscitur, sibi cognoscendum proponat. Tanta itaque est huius doctrinæ celsitudo,tantaque sublimitas,quantam nulla creata mens enarrare, aut capere vnquam posset: cum in vno eius mysterio explicando plus ingenij, plus operis, plus doctrinæ opus sit, quam in omni alia arte omni ex parte tractanda. Quantam denique eius sit longitudo, ex eo cognosci haud obscure licet, quod ea tractet, quæ non solum omnium temporum varietate & duratione, sed etiam æternitate ipsa continentur: In hac enim doctrina ea explicantur, quæ ab omni æternitate in mente fuere diuina, quæ in ipsa orbis molitione fecit Deus, & quæ in eius conseruatione facit, & quæ in eiusdem interitu, & in omne sęculum facturus est. Huc etiam referres eam laudem, quam aliqua doctrina ab antiquitate sortitur. Hanc enim non inuenerunt Chaldęi, non excogitarunt

D.Tho 1. par. q 1. art.8.

gitarunt Ægyptij, non finxerunt Græci, non extraxit Democritus ex puteo, nec Socrates e cœlo euocauit, aut vlla ſchola, ſiue Cynica, ſiue Stoica, ſiue Academica, ſiue Ariſtotelea introduxit.
Eccl. 1. Omnis etenim ſapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Quam Deus effudit ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præ-
Prou. 8. buit illam diligentibus ſe. Quare hæc ſapientia dicere de ſe poteſt, ſe fuiſſe ante abyſſos, ante omnes colles, & Deo adfuiſſe cum cœlos præparabat, quando circundabat mari terminum ſuum, quando appendebat fundamenta terræ: diceret etiam, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens cum eo in omni opere, ludens in orbe terrarum, & delitię meæ eſſe cum filijs hominum. Ex quibus fit, vt eam etiam promereatur laudem, quod ſit in perpetuum duratura: quia & ſi cœlum tranſi-
Luc. 21. bit: tamen quę in hac doctrina continentur, nunquam præteribunt. Omnes aliæ diſciplinæ initium aliquod habuerunt, &, vel iam defecerūt,
Pſal. 118. vel aliquando deficient: at vero, o Domine, in ęternum verbum tuum permanet in cœlo. Et ab eo vſque tempore, quo hæc doctrina literis conſignata fuit, ſemper permanſit intacta, immaculata, integra; & in eadem integritate & puritate perpetuo eſt permanſura: quibus priuilegijs nulla alia gaudet diſciplina. Quo circa, longe feliciores hac in parte ſunt Theologi, quam aliarum ſcientiarum profeſſores, & maxi-

me

me Iuriſconſulti. Quia, quandiu ad integros codices, & ad ipſos fontes adire non licet, tandiu cogimur de ſcriptorum voluntate,& germana ſententia dubitare. Nam principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum, ex quibus leges ciuiles carptim, & quaſi fruſtulatim euulſæ ſunt, vel nullibi extant, vel ſunt carie conſumpta: quo fit, vt ſæpe velint,nolint, hallucinentur,cum ex illis reciſis particulis ſcriptoris mentem plene percipere haud facile queant. Et licet, vt paulo ante dicebam, hæc ſacroſancta doctrina a nulla humana ſchola,inuenta, ſed diuinitus a Deo data fuerit; tamen omni ætate, apud omnes populos, in omni bene inſtituta ciuitate a ſapientioribus hominibus culta,& in honore,vt infra latius docebo,habita ſemper fuit. Huc ea etiam laus pertinet, quod omnes nationes, ſuis relictis diſciplinis, a ſe inuentis, quibus inſtitutæ & iam imbutę erant, hãc vnam,tanquam veram & firmam, aliquando ſuſceperunt, & per eam ſe beatitudinem aſſequi poſſe exiſtimarunt; per hanc enim ſolam ſalui facti ſunt quicunq; placuerunt Deo a principio. Quod ſi quid in alijs diſciplinis, quod ad humanam felicitatem & veram ſapientiam conſequendam pertineat, inuenire licet, ab hac acceptum fuit: in quo etiam gloriari poteſt, cum ab ipſa omnes aliæ aliquid acceperint, ipſa vero ab vlla alia nihil. Quis ergo eam ſcientiam omni prędicatione dignam non exiſtimet, quæ eſt omnium ampliſſima, profundiſſima,

Li.1. inſt. tit.1.

Sap.8.

Euſeb. de præpar. Cyril. cont. Iul.

latiſſima, & altiſſima? quæ firmitudine, conſtantia, integritate, antiquitate, & certitudine omnes alias ſuperat: quæ rerum varietate, ſcriptorum, & librorum multitudine, doctrinæ copia, cæteras omnes longiſſime antecellit. Quis eam ſapientiam ſibi omni ſtudio & contentione acquirendam non ſtatuat, quam apud omnes nationes viri ſapientes coluerunt, ac prædicarũt? Valeant igitur mordaces Zoili, petulantes Momi, moroſi, & intollerandi Cenſores, qui nulla iuſta de cauſa, vel ſacram ſcripturam, vel ſcholaſticam diſciplinam, & ſcholaſticos ſcriptores damnant: quos dum vituperant, ipſam ſapientiam cui incumbunt, ipſam Eccleſiam, cuius
Epheſ. 4. ſunt Magiſtri, ipſum Deum cuius ſunt Doctores, quos qui audit Deum audit, quos quo ſper-
Luc.10. nit, Deum ſpernit, quos qui tangit, pupillam oculorum Dei tangit, vilipendunt. Ec quis ſanæ mentis eos, qui doctrinam diuinitus datam, dies noctesque tractant, tuentur, exponunt, amplificant, & dilucidant, ac proinde ab ipſa
Ecc.24. ſapientia beati vocantur, laceret? Eos inquam, qui lectulum Salomonis cuſtodiunt, contra lupos latrant, vulpeculas capiunt, panem petentibus frangunt, cęcis ſe duces præbent, terram ſaliunt; in vinea laborant, in area triturant, & ſibi commiſſum cœlorum regnum tuentur? Valeant iſti, qui dum alijs ſapere volunt, ſibi ipſis nihil ſapiunt, & ſua inſipientia diuina atq; humana violant, vexant, perturbant, euertunt: qui tanquam ſerpentes e latibulis, oculis eminentibus,

bus, inflato collo, tumidis ceruicibus prodierunt,& hominum veram ſapientiam colentium ſanguinem, ſi poſſent, exorberent: immo ipſam vitæ parentem ſapientiam euerterent, nec tanto parricidio ſeſe inquinare timerent. Sed, vt opinor, hic error, & hæc indoctorum animis offuſa caligo eſt, quod tam longe retro reſpicere non poſſunt, vt eam doctrinam recens ab hominibus ocioſis inuentam imputent, quę re, & nomine, ab ipſo etiam mundi exordio extitit. Nam, qui conceſſerint doctrinam aliquam hominibus ab orbe condito diuinitus datam fuiſſe, ijdem neceſſario concedant oportet, ab eo etiam vſque tempore aliam fuiſſe diſciplinam, quæ illam exponeret, defenderet, amplificaret,& ne erroribus deprauaretur, caueret: quod antiquiſſimus omnium Theologorum Iobus, cum ſuis amicis de diuina prouidentia diſerendo, fecit. Quid igitur eam doctrinam contemnendam, & irridendam putant, quam Iudæi, quam Chaldæi, quam Arabes, quam Aegyptij, quam Græci, quam Latini, quam omnes apud omnes populos ſapientes viri coluerunt, & colendam eſſe docuerunt, & diuini ſcriptores diuino ſpiritu acti celebrarunt? Verum, ea demum magna uoluptas eſt, ęquali ac pari vitæ generi oratione vti, vt omnis oratio moribus reſpondeat. Neque enim qui ita viuunt, vt iſti faciunt, aliter ac ipſi loqui poſſunt; neque qui tam illoto ſermone vtuntur, vita honeſtiore ſunt. Sed vt moderate agam, & ne eos remor-

dere videat, qui nos tam acriter, iniuste mordent, eos omni christiano affectu moneo, atque fraterne obsecro, vt eam amplexentur discipli-
Sap. 3. nam, quam qui abijciunt, vt sapiens ait, infelices sunt.

Sacram Theologiam esse veram sapientiam, eique omnes sapientiæ proprietates conuenire demonstratur. Cap. XI.



VM dictum a nobis paulo supra fuerit, sacram Theologiam tanquam reginam in humana mente omnium scientiarum genere ornatam, in suo quasi solio sedere, ac cæteris scientijs vti, eisque tanquam suis ancillis imperare, quod est sapientiæ propriũ: propterea necesse est, vt nũc videamus, quasi de huius disciplinę forma agentes, an vere hoc magnificum & illustre sapientiæ nomen, quod semper plurimi factum, & ab omnibus hominibus semper ambitiose affectatum fuit, huic doctrinæ conueniat: vt vel hac ratione hominum
Arist. li. 1. voluntatem ad eam consequendam inflecta-
Met. c. 2. mus. Quod ergo sacræ Theologiæ hoc præclarum, atque egregium sapientiæ nomen congruat, tunc candidus lector cognoscet, cum omnes sapientiæ proprietates, ei conuenire a nobis demonstratum fuerit. Primum igitur, si eam spectemus sapientiæ notam, quæ est, vt omnia, quantum fieri potest, sciat, nullam aliam profecto inuenies doctrinam, cui hoc attributum

æque recte, atque huic nostræ tribuas: cum hęc sola, vt iam diximus, suo amplissimo sinu omnium rerum cognitionem contineat. Hæc enim per omnes rerum naturas peruadit: humana & diuina cognoscit: ab altissima dei maiestate per creaturas omnes descendens, vsque ad inferni intima penetrat, & inde rursus in Deum ipsum, quasi quodam circulo, reuertitur: cum sit Sap.7. participatio quædam illius sapientiæ, quæ attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Est itaque scientia quædam a Deo, de Deo, & ad Deum. Propterea de Salomone qui eam diuinitus accepit, a cedro, quę est in Libano, vsque ad hysopum quæ egreditur de 3. Reg. 4. pariete, hoc est, a maximis rebus ad minimas vsque, disputasse legimus. Et libro, quem in laudem huius sapiẽtiæ composuit, his verbis, quod hoc loco docemus, luculenter expressit. Ipse Sap.7. enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & mutationes omnium morum, & diuisiones temporum: anni cursus & stellarum dispositiones: naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improuisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. Illa deinde nota sapientiæ tribuitur, vt quæ sunt difficiliora cognitu, & a

ſenſibus noſtris remotiora cognoſcat. At quæ vnquam fuit diſciplina, cui hæc proprietas magis, quam chriſtianæ doctrinæ, conueniat? Hęc immenſam Dei maieſtatem ſupernaturali lumine ſcrutatur, abditiſſimum ac difficillimum Trinitatis myſterium conſiderat, dum diuinarum perſonarum proceſſionem, numerum, æqualitatem, proprietatesque exponit: hæc æternarum mentium vim, functiones & ordines declarat: hæc incarnationis myſterium, quod etiam Angelis, aliqua parte, erat ignotum, exponit. Omitto præſcientiæ, prouidentiæ, prædeſtinationisque diuinæ tractationem: omitto liberi arbitrij, naturæ & gratię, ac ſeptem myſteriorum, & prętertim Euchariſtię, diſputationem. Quarum rerum ſingulę, maiores ac difficiliores ſunt, quam quę ſolis naturę viribus percipi potuerint: Vere itaq; regius pſaltes cecinit:
Pſal. 50. Incerta & occulta ſapientię tuę manifeſtaſti mihi. Et alibi, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex
Pſal. 138. me, & non potero ad eam, hoc eſt, mirabilior eſt, quam vt illa a me capi poſſit: ac ſublimior, quam vt intelligere queam. Multa deniq; in
1. Cor. 2. hac doctrina tractantur, quę nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec mens humana vnquam cogitauit, aut cogitare potuit. Cum itaque ſit de rebus difficillimis, ualde abſtruſis, & ab humano ſenſu maxime remotis, iure optimo ſapientia nominanda erit. Id etiam priuatim ſapientię tribuitur, ut ſit cognitio certa, & earum rerum quas nouit, cauſas non ignoret. Quod

ad

ad certitudinem attinet, nulla eſt inter humanas doctrinas, quæ huic comparari queat: quod tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Nam maiori ex parte, vt ſupra ſcripſimus, de his rebus agit, quæ nulli ſunt interitui, aut mutationi ſubiectæ: & de corruptibilibus, vt diuinæ ſubijciuntur cognitioni, quæ nulli eſt expoſita errori. Diuino lumine nititur, quod eſt certiſſimum; cum Deus nulla ratione decipi, aut decipere queat. Qui vero hanc doctrinam ſunt adepti, ita ſunt certi, ut ad eius veritates retinendas parati ſint omnem humanam rationem deſpicere, & omnes demonſtrationes exiſtimare ſophiſmata. Cœli ergo tranſibunt, & huius doctrinæ veritas non deficiet: ſol obſcurabitur, & huius veritatis lumen nunquam extinguetur: illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia. De humanis vero diſciplinis, quid exiſtimare liceat, ex hac Sapientis ſententia, (vt eos omittam, qui de earum incertitudine multa ſcripſerunt) facile cognoſceres: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Sunt ergo humanæ diſciplinæ ita incertæ, vt quidam, eas omnino vanas eſſe putauerint: & alij dixerint, noſtrum ſcire, eſſe pulchrum opinari. Quod ad cauſas attinet, hæc ſola primas & veras rerum maximarum cauſas poteſt inueſtigare: cum primas rerum rationes in mente diuina exiſtentes contempletur; primam cunctarum rerum exemplarem, effectricem, & finalem cauſam conſideret; & ſit ſcien-

Luc. 21.

Sap. 7.

Sap. 9.

tiæ diuinæ participatio quædam. Propterea, Aristoteles sapienter scriptum reliquit, huiusmodi sapientiam, vel a solo Deo, vel præcipue possideri. Et vt locum notatione dignum, clarius explicemus, quæ nam obsecro sapientia, præter hanc, quam nos prædicamus, diuinæ prouidentiæ causas reddet? cur improbi homines in hac vita feliciter viuant, boni vero malis afficiantur omnibus? cur permittantur mala? cur trasferantur regna? cur creaturæ in vtilitatem hominum factæ, hominem lædant? cur corpus aggrauet animam? cur sensus cum ratione pugnet? cur homo, qui naturali propensione immortalitatem vehementer affectat, sit morti obnoxius? cur hominis vita, sit multorum animalium vita breuior? quarum rerum causas, cum quidam ignorauerint, dixerunt naturam erga hominem fuisse nouercam: cur denique, ne longum faciam, idolorum cultus cessauerit, & idola ab hinc tot annos obticuerint? Cuius rei causam sapientes huius mundi diligenter peruestigarunt; sed, cum non essent hac perfecta sapientia illuminati, inuenire minime potuerunt. Postremo, illud sapientiæ tribui solet, vt sit maxime libera, & gratia sui: vt quæ alijs præcipiat, aliasque omnes tanquam princeps, & regina dirigat: quæ omnia in hac doctrina reperiri, ex iam dictis, facile cognosceres. Nam, cum de Deo, qui est omnium rerum principium & finis, agat; omnes profecto scientiæ, & artes, quæ de rebus a Deo creatis disputant, ad hanc

Lib. 1. Met. c. 2.

Plin. Cic. Horat. Plut. Porphy.

vnam referentur, & huic vni subiectæ erunt. Hæc igitur sola est libera, & gratia sui. Ipsa nanque sola de omnibus alijs non modo secundum humanas, sed etiam secundum diuinas & ęternas rationes iudicat: ipsa sola cæteras in suos fines dirigit: ipsa sola cunctis alij leges imponit: ipsa sola reliquarum errata notat, & corrigit: ipsa sola, cum non solum speculetur, sed etiam agat, cuiuscunque scientiæ, siue sit actionis, siue cogitationis perfectionem continet. Concludamus igitur nō solum esse sapientiam, sed etiam maximam quandam sapientiam, cum sit rerum difficillimarum maximarumque certa, gratiaque sui adepta cognitio: concludamus item esse possessionem quandam diuinam: concludamus rursus esse nobilissimam, & omni honore dignissimam, cum sit maxime diuina. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera: concludamus etiam cum Aristotele, indignum esse, hominem non quærere illam, quæ sibi conuenit, scientiam: id non inuestigare, quo homo fit Deo valde similis: illud non concupiscere, quod omnes naturæ impulsu affectare videntur; illud videlicet præclarum, insigne, atque illustre sapientis nomen: quod tale est, vt Socrates, apud Platonem, soli Deo conuenire dixerit: quod ij, qui olim sapientiam profitebantur, tanti faciendum esse existimarunt, vt non sapientes, sed sapientiæ cupidi, quod tanto nomine se indignos esse censerent, voluerint appellari. Affectent alij

Sap.7.

Arist.1. Met.c.2.

In Phoedro.

Domini,

Domini, Marchionis, Principis, Ducis, Regis, & Imperatoris nomina, quę quid secum afferant, difficile est inuenire: nos vero solidam, ac magnificam, atque maxime illustrem Sapientis appellationem, quæ omnium bonarum artium, humanarum diuinarumq; rerum notitiam, diuinæ sapientiæ participationem quandam, perfectionem denique tantam complectitur, quantam nulla dicendi vis, nullum eloquentiæ flumen vnquam dicendo exprimeret, nobis acquiramus. Ex his ergo iam facies quædam, & quasi effigies huius pulcherrimæ disciplinę, quæ est præcelsa quędam scientia, & sapientia apparet. Quam, vt adhuc melius internoscas, verba, quibus a Sapiēte descripta fuit, subijciam. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, in coinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbiq; propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor est enim lucis æternę, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert,

Sap.7.

fert, amicos Dei, & prophetas constituit. Si ij qui erga hanc sapientiam parum sunt affecti horum verborum energiam diligenter animo tractarét, quantó in errore sint facile perspicerent. Cum ergo tanta sit huius sapientiæ uis, atq; efficacitas, merito a sanctis patribus varijs finitionibus ex eius effectis conglobatis, latissime describi solet. Hæc est, ait Augustinus, quæ præcipue in Deum prouocat, & Deum diligere inuitat, corda illuminat, linguam purificat, conscientiam probat, animam sanctificat, fidem confortat, diabolum reijcit, peccatum spernit, animas frigidas calefacit, lumen scientię ostendit, tenebras ignorantię expellit, tristitiam sæculi extinguit, lętitiam spiritus sancti accendit, sitienti potum tribuit. Hęc est scriptura sancta, lex nostra immaculata, quę de insipientibus sapientes facit, primós de nouissimis ponit, magnos de minimis efficit, nobiles de ignobilibus commutat: naturam fręnat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert spem: coronat senem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægrotos, roborat infirmos; brutos facit sensatos, mentis stabilitatem donat, excitat somnolentos, ociosos increpat, pigros incitat: credentibus gratiam dat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemosynam imperat. Si qui ergo sunt (omnes esse deberent) qui sapientię amore flagrent, qui eius magnificum, excelsum, atq; gloriosum nomen desiderent, quod nemo est qui

Ser. 38. ad Fratres in heremo.

mimice

mimice non affectet, hanc vnam veram, ſolamque ſapientiam, cui ſoli vere omnes ſapientiæ notæ conueniunt, ſibi ſequendam putent. Siquidem omnis alia ſapientia, ſine hac, eſt ſtupida, & inſipida: cum hæc ſola, & nulla alia veri Dei cognitionem, cum vera religione coniungat: quæ duæ virtutes ita ſunt inter ſe copulatæ, vt vna ab altera ſeparari nequeat: quia idem eſt Deus, qui cognoſci & honorari debet; illud ſapientiæ, hoc religionis eſt. Deus itaque per ſapientiam, tanquam pater, cognoſcendus, & per religionem, tanquam Dominus, colendus eſt. Quo fit, vt tam philoſophi, quam falſorum Deorum cultores vera ſapientia caruerint: quia illi cognouerunt quidem, ſed non coluerunt, & ita euanuerunt in cognitione ſua: hi vero coluerunt, ſed non eum, quem ignorarunt, & cognoſcere debuerunt. Vani igitur ſunt omnes homines in quibus non eſt ſcientia Dei, qualis eſt hæc, quam nos colendam dicimus. Quanta itaque voce poſſum teſtificor, proclamo, denuncio, hanc eſſe illam veram ſapientiam, quam omnes philoſophi, ſic ab eius quærendæ ſtudio nominati, quæſiuerunt, quam tamen nunquam conſequi potuerunt. Quo fit, vt non tam modeſtiæ oſtendendæ, quam veritatis manifeſtandæ cauſa, ſe non ſapientes, ſed ſapientię ſtudioſos appellare debuerint. Nos vero, ſi hanc rerum diuinarum cognitionem adepti fuerimus, non vt illi in ſua, ſed in Dei ſapientia gloriari, & hoc illuſtre nomen nobis tribuere poterimus.

Lactan. Ferm. lib. 4. c. 4.

Triſmeg. in Aſclepio.

Rom. 1.

Dicit

Dicit enim Dominus, Non glorietur sapiens in Ier.9.
sapientia sua, neque glorietur fortis in fortitudine sua, neque glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, vt intelligat & cognoscat me: quem is solum cognoscit, qui hanc ipsius disciplinam didicit.

Laudatur sacra doctrina ab eius auctoribus.
Cap. XII.



Eos libros studiose inquirere, diligenterque legere, & ea opera libenter homines spectare consueuere, quorum auctores illustres, & celebres extitere. Propterea Polycleti signa, Apellis tabulas, Homeri poemata, Ciceronis orationes, & Aristotelis philosophiam cupide inspicimus, ac legimus; quod hi homines in suis artibus insignes & sapientes fuerint. Ob auctoris itaque sui præstantiam vnaqueq; res commẽdari alijsque præferri solet. Quo fit, vt sæpenumero libri quorum minor est vtilitas, & doctrina, vel vulgaris, vel parum elaborata, quod nomine alicuius eruditi viri sint inscripti, pluris fiant, ac studiosius legantur, quam fieri legiq; deberent. Id, si spectare voluerimus, nullus vnquam extitit, aut existere liber potest, qui ita grato animo legi, manibus teri, dies noctesque volutari deberet, vt is, in quo hæc sapientia, quam nos laudamus, & amplectendam proponimus, continetur: cum omnia, quæ in eo scripta sunt, per homines

mines auctoritate, & sanctitate conspicuos, sint afflatu diuino conscripta. Quod verum esse latius demonstrarem, nisi cum ijs sermonem nunc haberem, quibus id persuasum esse certo scio. Habet itaque christiana doctrina Deum, cuius sapientia est infinita, auctorem: a quo nihil non bonum, nihil non perfectum, nihil non optimum; & omni ex parte absolutum potest
Sap.8. proficisci. Propterea Salomon de ea loquens, aiebat, esse candorem lucis æternæ, & imagi-
Sap.9. nem bonitatis illius: ac proinde maximis precibus, artificiosa oratione, eam ab eius auctore Deo petebat. Quę igitur doctrina potest esse hac nostra melior, cum sit ab eo, cuius opera
Gen.1. sunt valde bona? quę magis necessaria, cum sit ab eo data, qui nihil operatur frustra? quæ congruentius digesta, cum sit ab eo, qui disponit
Sap.7. omnia suauiter? quæ magis absoluta, cum sit ab eo, cuius opera sunt profecta? quæ denique
Psal.93. humanæ menti magis accommodata, cum sit ab eo præceptore, qui docet hominem scientiam? O vere beatum illum, quem tu, Domine, erudiueris de lege tua! Qua ergo fronte nos christiani in Dei schola versamur, cum eius doctrinam, quam per alios, & per seipsum nos peramanter docet, negligamus? qua facie coram Dei maiestate stamus, cum eam, quam ipse profert sapientiam parui faciamus? & quod deplores, ea posthabita, hominum insomnia & fabellas, ad tempus inutiliter terendum excogitatas, quodam inani verborum lepore, & fictarum

rerum

rerum nouitate pellecti, studiose lectitamus. A quo inani & pernicioso studio, hac grauissima sententia, sanctus, ac rerum diuinarum studiosissimus pater Isidorus nos reuocat: Quid prodest mundanis proficere doctrinis, & inanescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cœlestia fastidire mysteria? Cauendi igitur sunt tales libri, & propter amorem sanctarum scripturarum vitandi, qui exterius eloquentia verborum nitent, & interius uacui virtutis sapientia manent. Eloquia autem sacra exterius corrupta verbis apparent, interius autem mysteriorum sapientia fulgent. Soleo sæpe mecum, christiane lector, ita cogitare: contemplor hominem ob immoderatam sciendi appetitionem a Deo in hanc rerum cęcitatem fuisse detrusum, eumque in obscurissima ignorantiæ nocte versari, & in hac exilij valle sine vero lumine per inuia & salebrosa loca iter habere, quid sit, & vnde veniat, vbi sit, quo vadat, & per quam denique viam, penitus ignorare; vt ni ei aliquod maius lumen, quam rationis, appareat, quod vix vspiam apparet, nunquam ad patriam, vnde eiectus fuit, remeare queat. Video deinde Patrem illum misericordiarum, ac Deum totius consolationis, a quo omnia in nos proficiscuntur bona, misericordia motum, prouidentiæ suæ oculos ad hunc infelicem & calamitosum hominem adijcere, atque ad eum consolandum literas, in quibus de eius instauratione, reconciliatione, reuersione, ac beatitudinis adeptione agit,

Lib.3.de summo bono.

Gen.2.

c.2. Cor. 1.

Iac.1.

Exod.31. agit, digito suo scriptas, ei mittere. At vero cum animaduerto hominis ignauiam, stultitiam, & ingratitudinem, dum has literas hilari animo non accipit, aut si accipit, non legit, aut si legit, non intelligit; nec intelligere curat, vel si curat, non multum, vel non perpetuo curat, maxima admiratione afficior, atque stupore defixus, hęreo. Dic, per Deum immortalem te oro, christiane lector, si aliquis illustris Princeps, si Cæsarea maiestas, si summus Pontifex ad te epistolam beneuolentiæ & amoris plenam mitteret, in qua quanto te amore prosequeretur, quid de te cogitaret, quibus te bonis ditare, & honoribus insignire vellet te certiorem redderet, quo eam acciperes animo? quoties eam legeres, & alijs legendam traderes? qua cura, qua diligentia, quo studio singula eius verba perpenderes? quanta solicitudine eam conseruares? quantum denique ob eam te efferres? Et miserit diuina maiestas, Deus opt. max. Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tibi non dicam vnam vel alteram epistolam, sed plures, & plures libros manu sua conscriptos, in quibus, quid de te cogitet, te docet: qua ratione ei te conciliare, eique placere possis, vt beatitudinem consequaris, instruit: in quibus mentem suam, occulta secreta, sacrosancta mysteria tibi manifestat, & eos non legis? non vides? & de tanto munere a tanto largitore accepto, non gloriaris? Non sic, non sic ille, qui dicebat: In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones

tuos:

tuos: Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui: concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas omni tempore. Leguntur leges Platonis & Iustiniani, cur non leges Moysis, & Dei? Leguntur libri de profanis, & iniustis bellis, cur non libri de bellis diuino iussu, & pro religione tuenda gestis? Leguntur historiæ profanæ, cur non diuinæ? Leguntur, & quidem perlibenter prædictiones vanæ & incertæ Astrologorum, cur non vaticinia vtilia, & certissima Prophetarum? Leguntur spurcissima multorum hominum carmina, cur non castissima & diuina poemata Dauidis? Leguntur Ethici Aristotelis libri, cur non ea, quæ de moribus scripta reliquit Salomon? in cuius scriptis, quot sunt versiculi, tot sunt saluberrimæ sententiæ, & quasi lapilli cœlo delapsi. Leguntur, perleguntur, & releguntur epistolæ familiares M. Tullij, cur non epistolæ canonicæ Apostolorum? An id fortasse accidit, quia hi auctores nō sunt ita illustres? an quia, quæ ab his tractantur, non sunt ita vtilia & necessaria, & non multū ad nos pertinent? An, quod verum existimo, quia nos mente capti sumus? Animaduerte hic, obsecro, amice lector, si semel intelligere vis quanta sit nostræ naturę peruersitas. Creauerat Deus, cuius opera sunt omni ex parte perfecta, in illo florentissimo innocentiæ statu, hominem rectum, atque absolutum; ita vt ei ad beatitudinem consequendam, cum omni scientiarum, ac

Psal. 118.

Ecci 39.

Ecci. 17.

virtutum genere diuinitus fuisset ornatus, nihil
Gen. 3. aliud esset necessarium: & tamen callidissimi
hostis astutia deceptus, & nimia boni & mali
sciendi cupiditate incensus, per quam cognitionem se Dei similem euasurum existimauit, vetitum pomum gustare voluit, & gustando in maximas ignorantiæ tenebras se, & totam posteritatem coniecit. Cum itaque in honore esset, cum omnia sibi necessaria sciret, cum in loco sibi congruenti maneret, dum plus, quam par erat, voluit intelligere, non intellexit; &
Psal. 48. ideo comparatus est iumentis insipientibus &
similis factus est illis: & veluti quoddam pecus, pellicea veste indutus, qui Dei similem esse voluit, in hanc rerum omnium colluuionem iusta Dei punitione, fuit detrusus. Nunc vero in tanta rerum cęcitate constitutus, ignorantiæ tenebris vndique circumseptus, cum nulla re magis indigeat, quam vera scientia, & vero legis diuinæ lumine, inuitatus, vocatus, pręmijs illectus, & pœnarum terrore impulsus, ad veram scientiam, verumque lumen recipiendum, se commoueri non sinit: in ignorantiæ nocte libenter versatur, & lucem odit: & quanuis ei a Deo opt. max. ob singularem in eum curam, caritatemq; dulcis aqua, suaue vinum, candidum lac, cœlestis panis, & angelicum manna proponatur; ta-
Psal. 17. men manus non porrigit, & tãquam surda aspis
se deliniri, & excantari a sapiente incantantore, non patitur. O duritiam inauditam! O stultitiam immensam! Is, aquam, quæ refrigerat,
vinum

vinum quod lætificat, lac quod nutrit, panis qui corroborat, manna quod delectat, Deo dante, porrigente, & vt accipiat orante, & obsecrante, non accipit, qui vnicum mortiferum pomum, sub falsa boni specie propositum a Dæmone etiam leuiter suadente, accepit. Sed placet hoc loco ad hunc hominem in tam miserum, ac ærumnosum statum delapsum, aliquantisper sermonem conuertere, atque ex eo vbi nam sit quærere: vt videamus, an eo ignorantiæ deuenerit, vt etiam vbinam versetur ignoret. Vbi igitur nunc es, o Adam, & Adæ fili? Effare, si non te puduit superbiæ, qua es transgressus, non te pudeat confessionis pœnæ, qua iuste puniris. Dic libere, te non esse in patria, sed in exilio: non in illa clara luce in qua fuisti creatus, sed in tenebris, in quas fuisti reiectus: non in aula regia, sed in istabulo: non cum Deo, Deus factus in cœlo, sed cum bestijs quibus ab ignorantiam es comparatus, in terra. Psal. 48. Hiccine ergo est ille homo, qui in tanto honore erat, quem nunc vanissimos honores per vanas scientias aucupari cernimus? Hiccine est ille homo rectus, quem nunc ad turpe lucrum videmus esse curuatum? Hiccine est ille homo, ad cœlestia contemplanda creatus, qui nunc in fabulis, & spurcissimis libris legendis est occupatus? Hęcine est miser, ac miserande illa beatitudo tua, ab improbo seductore tibi promissa? Hæccine est illa diuinitatis tuę gloria? Innanis erat serpentis sibilus, cui aurem tuam, stulte, accommodasti; ideoq;

Franc. Abbas. tu inania captando, miser illusus, nec quod sperabas obtinuisti, nec quod possidebas retinere potuisti. At, non est inanis, non fraudolenta vox Dei, te ab exilio reuocantis, quam tamen audire nō curas. Si itaque, vt eo reuertamur, vnde aberrauimus, primum ac præcipuum huius sapientię auctorem, qui est Deus opt. max. spectaueris, nullam profecto disciplinā cui homines, & maxime fideles, se totos magis tradere, & de qua magis gloriari deberēt, quam de hac nostra, unquam inuenies. Psal. 147. Quoniam, amantissimus ille Pater non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. Si deinde eos consideres, per quos Deus proxime nobis hanc sapientiam tradidit, viri fuerunt, vt vniuerse dicamus, suis temporibus non obscuri, integerrimi, doctissimi, pietate insignes, & rebus gestis illustres. Moyses, inquam, Dauides, Salomones, Esdræ, Isaiæ, Danieles, Ioannes, Pauli, & ij quorum Psal. 18. in omnem terram sonus exiuit. In quorum scriptis, non solum humana diuinaque sapientia, sed etiam omnis eloquentiæ vis, atque natura, continetur. Quis enim Moyse sapientior, Iobo grandior, Dauide ornatior, Salomone suauior, Isaia purior, Ezechiele plenior, Luca facilior, Ioanne sublimior, & Paulo neruosior? At vero de auctoribus, ac magistris humanæ sapientiæ, missis multis alijs rebus quæ in ipsorum scriptis damnaret quispiam; si eorum mores diligentius inquirere voluerimus, inueniemus fuisse homines non satis bonos, ne dicam valde malos.

malos: Democritus, excœcauit se, quod mulieres sine concupiscentia videre non posset, & doleret, ni potitus esset: Pythagoras, & Zeno tyrannidem affectarunt: Plato, vt antiqui patres scribunt, gulositate sicula venditus, & Socrati mortem pro veritate subire volenti, fugam suadere non dubitauit: Aristoteles impurus, auarus maledicus, & in magistrum ingratus: Homerus, licet multa sciuerit, ignorantia tamen, sicuti Speusippus adulterio, perijt: Hippias occisus, quod ciuitati insidias parauerit: Cimon Iouem imitatus, sororem vxorem habuit: Aristides de sublatis pecunijs pœnas luit: Isocrates ita libidinosus, vt in senectute vna vxore non fuerit contentus: Epictetus in Christianos non bene, sua culpa, affectus: Aristophanes septuagies accusatus, Cato quadragies, quanuis vterque ob corruptam fortasse institiam, nunquam causa ceciderit: Socrates, omissa eius ira & libidine, vxorem suam, quod etiam M. Cato fecit, cum amicis communicauit. Exclamat hic, & merito, Tertulianus, O sapientiæ Atticæ, & romanæ grauitatis exemplum! Leno, philosophus, & censor. Vbi etiam contra eum, qui suo responso Socratem sapientem esse cōfirmauit, exclamare licet; O stultum Apollinem! qui eum sapientis nomine dignum putasti, qui nihil vnquam sapientius dixit, quam cum se nihil scire pronuntiauit? Et, vt aliquando concludamus, omnes fures fuerunt, cum quidquid boni dixerunt, a nostris acceperint, & acceptum non

Grego. Naz. ora. cont. Iul. Tertul. Theodor. Cyril. lib. 9. cont. Iulian.

Plutar.

Cyril. Alex.

 tulerint.

tulerint. Sed iſtis omiſſis, ad rem noſtram re-
Serm. 38. ad Frat. in here. uertamur, & cum Auguſtino dicamus. Hæc itaque eſt illa doctrina ſuper omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerunt, quam Patriarchę diuinitus hauſerunt, quam Dei filius poſtquam in terris viſus & cum hominibus conuerſatus eſt, aperuit, & declarauit, & quid tenendum, & quid vitandum eſſet apertiſſime demonſtrauit, & per ſuos Apoſtolos, nos ipſam docendo, illu-
2. Pet. 1. minauit. Hæc itaque eſt vera ſapientia, quam non uoluntas humana attulit, ſed quam diuini homines diuino ſpiritu afflati, tradiderũt: quam non principes huius ſęculi, qui abolentur, ſed
2. Cor. 2. Deus per ſpiritum ſuum nobis reuelauit. Et, ne rem perſpicuam & luce meridiana clariorem, plura dicendo, obſcurare velle videar, ea eſt huius doctrinæ ex hoc loco dignitas, vt nulla poſſit eſſe, aut excogitari maior: tantumque ex hac conſideratione ad eius ſtudium homines inflãmari deberent, cum Deum ipſum hic præceptorem habeant, quantum fortaſſe ex nulla alia. Valeant igitur quot quot ſunt minus vtiles, & parum pudici ſcriptores: taceant Deo docente omnes alij præceptores; atque in chriſtiana ſchola Chriſti diſcipuli diurna atque nocturna manu ſacros auctores uoluant; ſeque, humanis relictis curis, ad ſolitudinem, vbi Deus animam
Oſe. 2. alloquitur conferant. Deo itaque pius lector,
Pſal. 118. vna cum Dauide dicat: Legem impone mihi Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper: Da mihi intellectum &
ſcru-

ſcrutabor legem tuam. Nam alij doctores vocant, tu uero inſpiras: alij librum tenent, tu illum aperis: alij legem proponunt, tu illam exponis: alij foris aures perſonant; tu intus corda pulſas. Loquere igitur Domine, quoniam ſeruus tuus audit. 1. Reg. 1.

Quanta ſit christianæ philoſophiæ dignitas, ex eius fine oſtenditur. Cap. XIII.

NIHIL eſt quod magis ad aliquam artem conſequendam, ac profitendam homines alliciat, quam præſtantia eius finis, quem ars propoſitum habet. Ex quo etiam loco ſingulæ artes ſuam nobilitatem, ac dignitatem ſumunt: ut ea dicatur dignior atque nobilior, quæ ad nobiliorem ac digniorem eſt ordinata finem: & ea, ad cuius finem aliarum fines referuntur artium. Id, ſi ſpectare uoluerimus, nullam profecto artem, ſiue ſcientiam, quæ hominem magis ad ſe pertrahere deberet, & quæ præſtantior cenſenda ſit, quam iſtam, quam nos laudamus, diſciplinam, inueniemus; cum finem habeat omniũ præſtantiſſimum, ad quem omnes cæterarum artium fines referuntur: ac propterea, is eſt, qui hominum animos maxime afficere poſſit, ac debeat. Huius ergo ſapientiæ finis, eſt perfecta Dei cognitio, cum perfecto amore coniuncta: ſuprema videlicet contemplatio cum ſupremæ virtutis actione ſociata. Quem finem, cum humana Rom. 2

philoſophia non attigerit, merito diuus Paulus
Rom.2. de eius ſectatoribus ſcripſit, euanuiſſe in cogitationibus ſuis. Et olim initio naſcentis Eccleſiæ, cum humanæ ſapientiæ profeſſores viderent noſtros, non ſolum verbis philoſophari, quod proprium fuiſſe philoſophiæ Græcorum non vno
Orat. pro M.Cœl. in loco teſtatum reliquit Tullius, vehementer admirabantur, ac dicebant: Qui ſunt iſti, qui ea faciunt, quę dicunt? Ipſi enim alia dicebant, alia faciebant: & quod ore docebant, moribus
Nilus abbas. deſtruebant: & ita de Deo extra Deum, verbis, barba, baculo, pallioque tenus, philoſophabantur: cum tamen omnis virtutis laus, vt præclare
Lib. de offic. ſcripſit Cicero, in actione conſiſtat. Dixit Ariſtoteles, & vere dixit; hominis beatitudinem
Lib. 1. Eth. c. 7. poſitam eſſe in actione ſecundum virtutem, in vita perfecta, & in altiſſimarum rerum contemplatione: ſed neutrum humana philoſophia omni ex parte, & quantum oportuit, potuit attingere; vt ſchola chriſtiana facit. Quod ad
Lege Frã. Pic. contemplationem attinet, pauca quædam & incerta, & non ſine errore de diuino numine, & cœleſtibus ſpiritibus philoſophi dixerunt: & quendam Deum ſine generatione infęcundum, ſine pluralitate perſonarum ſolitarium, ſine libertate neceſſario agentem, & egentem, & ſine prouidentia improuidum poſuerunt: & ſi quid veri & boni dixerunt, a noſtris furto acceperunt. Hunc locum, ſi quis voluerit philoſophorum circa rerum diuinarum tractationem errata percenſere, ampliter tractare poterit. De

actione

actione atque officio, certissimum est humanam sapientiam, quidquid eius professores dixerint, non potuisse omnes officij partes explere: quod in schola christiana est certa fide tenendum. Neque enim humana philosophia, ad id efficiendum quod honestum esse videbat, vires suppeditabat: idque cum Moysis lege, quæ neminem perfectum fecit, ei fuit commune. At verò hæc nostra disciplina omnes officij partes docet, omnem turpitudinem damnat, & ad id quod turpe est fugiendum, & ad omnes honesti partes explendas uires necessarias præbet: & tandem omnia quæ dicit, & docet, ad vnum optimum, & acquisitu facillimum reducit finem, nimirum ad vnum præceptum amoris Dei, & proximi: quod qui obseruauit, totam legem adimpleuit, ac verum & summum hominis finem est consecutus. In amore autem cognitio quoque includitur, cum nemo operetur ignorans, & voluntas non nisi in rem feratur cognitam. Inter alias autem humanæ felicitatis conditiones, eam numerauit Aristoteles, vt eiusmodi esse debeat, quã facile quisque adipisci queat: ac propterea optime damnauit eos, qui ijs in rebus posuerunt, quarum non omnes facile potiuntur. At quid facilius est, quam amare? ad quod omnes homines quodã naturæ ductu sunt propensi: quod est per se maxime delectabile & honestum: quod semper & vbique fieri potest. Etenim quid magis in promptu est, quam Deum & proximum diligere? Cum ad amandum Deum

Gal.3.

Mat.22.

Lib.1. Eth.

innumeræ

innumerę nos causę moueant,& ad diligendum proximum naturæ similitudo impellat? Amore autem, quid est præstantius? cum sit virtutum omnium, & cunctarum legum finis? Amor omnia creauit,omnia conseruat,omnia conglutinat, omnia instaurat, omnia regit: ac denique
1.Ioan.4. hominem cum Deo ipso vnit.Deus enim caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus est in eo. Si hic ab hominibus attingeretur finis; si in consociatione humana vigeret amor, nulla essent inter mortales bella, nullæ rixæ, nullæ discordiæ, nullæ iniustitiæ, & turbæ nullæ: non tortoribus, non carceribus, non iudicibus, non supplicijs esset opus: sed in summa consensione, caritate, tranquillitate, domi forisque, in toto terrarum orbe hoc transigeretur æuum. Huc omnes curę, cogitationes & labores principum referuntur: huc omnium magistratuum vigiliæ: huc omnes disciplinæ & artes tendunt, vt cuncti mortales primum Deum, & deinde inter se ament. Hic igitur solus verus,vltimus,ac perfectissimus humani generis finis,quem hæc diuina sapientia,cuius præstantiam prædicamus, & omni prædicatione dignam censemus, ad quam amandam & colendam fideles excitare conamur,docet,& propositum habet. Valeant igitur omnes humanæ disciplinæ, quæ alias falsas, & homine indignas beatitudines hominibus proponunt. Aliæ nanque pro fine statuunt diuitias, quas etiam facinorosi homines consequuntur: aliæ corporis robur

bur & pulchritudinem,quæ non ſunt hominis, ſed naturæ bona: aliæ famam & honorem,quæ in aliorum ſunt voluntate poſita: aliæ poteſtatem & opes,quem finem non omnes attingere poſſunt: aliæ voluptatem, qua etiam bruta animalia perfruuntur: aliæ humanam ſapientiam, quæ huic noſtræ comparata eſt ſtultitia; vel etiã nudam rerum cõtemplationem, quæ ſine actione vana eſt, & hominem, qui ratione & voluntate conſtat, non omni ex parte perficit, quod tamen beatitudini eſt maxime proprium, cum debeat hominem, omni ex parte perficere. Et, vt quod ſentio dicam, qui ſolis cognitionis artibus, quæ ſolam intelligendi vim exornant, eſt imbutus, & virtutibus,quibus perficitur voluntas,caret,is mihi monſtrum quoddam in humano genere eſſe videtur, inchoatum nimirum quiddam, mancum, atque imperfectum. Aliæ denique diſciplinę felicitatem in virtutis actione, vt ad honeſtum refertur,ponendam eſſe exiſtimarunt; cæterum,qui omnes ſuæ vitæ actiones in Deum non refert,non dum peruenit,quo homini ad beatitudinem tendenti, perueniendum eſt. Aberrarunt igitur diſciplinę omnes, hac vna noſtra excepta, a vero ſcopo, quem qui ob oculos ſibi non proponit,omnia cogitat,agit, & operatur fruſtra,& quo vadat,ignorat. Omnes itaque huius mundi ſapientes, vt cum ſcriptura concludam, viã diſciplinæ ignorauerunt, Barũ.3. neque intellexerunt ſemitas eius: neque filij eorum ſuſceperunt eam,a facie ipſorum longe facta

cta eſt: non eſt audita in terra Chanaam, neque viſa eſt in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt, negociatores terræ & Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius. Et quoniam non habuerunt ſapientiam interierunt propter ſuam inſipiētiam. Sui itaque finis cognitione amiſſa, in tantam humanum genus ignorationem venit, vt & veram ſapientiam, & religionem amiſerit: & creaturas etiam infimas, non ſine magna creatoris iniuria, pro Dijs, qui ad Dei ſimilitudinem creatus fuerat, adorare cœpit; veluti ſolem, lunam, ignem, feles, ranas, & manuum etiam ſuarum opera, idola videlicet a ſe ficta, dolata, fuſa, & ſculpta; a quibus viſum auditum, tactum, loquelam, motum, aliaſque ſentiendi facultates,
Pſal.113. & valetudinem, ac vitam, ſtulte petebat. Cum
Sap.15. tamen Dij iſti oculos haberent & non viderent, aures, & non audirent, manus, & nō palparent, linguam, & fari nequirent, pedes, & ambulare non poſſent, qui denique omni ſenſu carebant, cum eſſent infirmi, & mortui. Et cum iam omni ex parte homines inſipientes facti eſſent, ſapientiæ nomen, vt aliam ſuæ inſipientiæ ſignificationem darent, ſibi vendicare cœperunt: & ex tanta hominum multitudine, ſeptem ſolummodo haberi, & nominari ſapientes meruerunt.
Lact. lib. 4.c.1. O miſerum, calamitoſumque ſæculum! quo per orbem totum ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum

minum vocabulo cierentur: nemo enim potest dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si cæteri omnes, præter illos, stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes: quia nemo sapiens vere esse iudicio stultorum potest. Itaque, vt cum Lactantio concludam, nunquam tam veridici fuerunt, quam cum de sua ignoratione, qui sapientiores habiti sunt, sententiam pronuntiarunt. Omnes ergo fuerunt insipientes & infelices, cum tantum desipuerint, & a vero fine veraque beatitudine tantum aberrauerint. Cum ergo regius ille vates optime nosceret in philosophorum scholis de finibus bonorum & malorum esse altercationem & dissensionem maximam, eosque multum ab ianua aberrare uideret, initio sui operis hanc maximi ponderis quæstionem breuiter, vere, sapienterque diremit, cum hominis beatitudinem in iugi legis diuinæ meditatione, hoc est in contemplatione cum actione coniuncta, positam esse dixit, idque nos hoc loco docemus. Quid? quod hæc sapientia omnia illa bona secum affert, quæ aliæ disciplinæ hominibus proponunt, diuitias videlicet, honores, famam, voluptatem, potestatem, vires, decorem, & honestatem. Propterea vno vero, simplici, ac perfecto fine, quidquid est perfectionis in alijs aliarum disciplinarum finibus, suo complectitur sinu. Sine quo fine, omnes aliarum artium fines, humiles, leues, & homine indigni censendi sunt. Dicunt enim Galenum dare opes, Iustinianum, si leges spectemus, honores, si arma,

Psal. 1.

arma, gloriam. Sed quid abiectius & humilius esse potest, quam pro fine habere pecunias? cum Cicero vere dixerit, nihil esse magis angusti & parui animi, quam amare diuitias. Quid indignius, quam vanos affectare honores? cum ambitio, quæ honores quærit, vt sapienter Seneca scripsit, ad digna non nisi per indigna deducat? Quid leuius, quam leues rumusculos aucupari famæ, quæ nihil est aliud, quam virtutis vmbra? Cum itaque, vt multa paucis perstringam, nihil sit opulentius, nihil honoratius, nihil gloriosius, quam cognoscere & amare Deũ, in quo vera ac perfecta consistit hominis beatitudo, nulla alia profecto disciplina erit, hac nostra, vtilior, honoratior, atque illustrior, ac proinde nulla dignior, quam magis concupiscere, & amplecti homines deberent: quoniam, ea adepta, cum quodam propheta dicere vere possent: Beati sumus Israel, quia, quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Hanc igitur sequamur sapientiam, si nobis propositum finem assequi desideramus, si esse beati volumus, quod omnes velint, nolint volunt. Discamus, vt quidam propheta nos monet, vbi sit virtus, vbi sit prudentia, vbi sit longiturnitas vitæ, & victus, vbi denique sit lumen oculorum & pax: ne nobis illud dici possit, Dereliquistis fontem sapientiæ.

Lib. de offic.

Seneca præfat. in lib. mete.

Baruch. 4.

Baruch. 3.

Varijs modis diuina sapientia describitur.
Cap. XIIII.

SACRÆ doctrinæ, dignitatem vtilitatem, necessitatemque ex quattuor causis ipsam conficientibus, vtut potuimus, hucusque demonstrauimus, atque ad eius studium fidelium animos inflammare contendimus: nunc eius effigiem per quasdam proprietates, & definitiones clarius ob oculos ponendo, idem efficere conabimur. Faxit æterna sapientia, vt hic noster conatus pijs lectoribus prosit: & quod nos, nostri spiritus imbecillitate, rudi stylo, & oratione parum ad persuadendum idonea, præstare non possumus, ipsa intus in lectorum animis efficiat. Et quoniam nos non possemus ita bene huius cœlestis sapientiæ formam ob oculos legentium ponere, vt ipsa seipsam laudando fecit, lectorem ad ea, quæ in Ecclesiastico, de se Cap.24.
prædicauit, reijcio: ex quo loco, & alijs quibusdam, nos idem varias eius proprietates in quasdam descriptiones conglobando, efficere tentabimus. Hæc igitur sapientia, quæ tanquam Ecci. 24.
primogenita ante omnem creaturam ex ore altissimi prodijt, est veluti quædam pulcherrima, candida, pura, casta, & immaculata Regina, quæ ad dexteram regis in vestitu deaurato, circundata varietate sedet; nullo erroris neuo signata, Psal.44.
nulla labe maculata, nulla vllius partis prauitate, aut

te, aut membrorum distorsione vitiata, nullis deniq; deformata rugis, sed omni ex parte perfecta, & suaui cœlestique colore depicta. Nec
Sap.7. enim alia esse potest, cum sit candor lucis æternæ, & emanatio claritatis Dei. Hæc regina in altissimis habitat, thronum suum habet in co-
Eccl.24. lumna nubis: gyrum cœli circuit, sola profundam abyssi penetrat, in fluctibus maris ambulat, & in omni loco versatur. Habet in omni populo & in omni gente primatum, omnium excellentium & humilium corda calcat, & in omnibus requiem quærit, & in hæreditate domini moratur. Hæc est quasi cedrus in Libano, cipressus in Sion, palma in Cades, plantatio rosę in Ierico, oliua speciosa in campis, platanus iuxta aquas, & vinea in Engaddi: olet vt balsamum, suauitatem præbet vt myrrha, vaporat vt storax, ramos suos ramos honoris, & gratiæ quasi terebintus, extendit, & denique quasi vitis suauitatem odoris fructificat, & flores eius fru-
Psal.11. ctus honoris, & honestatis. Est hæc doctrina, vt regius vates scripsit, argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatum septuplum: ac si dixisset. Ita diuina eloquia sunt casta & syncera, vt est argentum sępius excoctum, & in vaso præstantissimo depuratum. Aliæ vero doctrinę non sunt absque scorijs, neque ab omni erroris rubigine intactæ: quo fit, vt hæc sapien-
Theoph. lib. de natura lapidum. tia cum alijs comparata, sit veluti lydius, siue heraclius lapis; quæ attritu, quid aliæ valeant disciplinæ, indicat. Omnes aliæ aliquid uitij,

ac prauitatis habent; hæc vero eſt ab omni parte quadrata & rotundata, omni inquam ex parte abſoluta, atque perfecta, in qua nihil abundat; nihil deſideratur, cui addi, aut detrahi nihil poteſt, cum ab eo ſit dictata, qui facit omnia in numero, pondere, & menſura. Hæc eſt illa ſapientia, quam hunc in modum in ſua canonica deſcripſit Iacobus. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione. In qua deſcriptione, vt docte, & pie ſeraphicus doctor adnotauit, ſeptem ponuntur columnæ, quibus ſapientia ſuam ædificauit domum. Septem itaque virtutibus veræ ſapientiæ conſurgit ædificium. Nam ſapientia eſt pudica in carne, quia caſtitatem amat: ſimplex in mente, quia tranquille viuit: modeſta in ſermone, quia nemini detrahit, cum verba oris ſapientis ſint grata: ſuadibilis in affectu, quia benignus eſt ſpiritus ſapientiæ: liberalis in effectu, qui aperit manum ſuam inopi: matura in iudicio, quia os iuſti meditatur ſapientiam, & lingua eius loquitur iudicium: ſancta denique in intentione, quia oculi ſapientis in capite eius. Sed iam Auguſtinum eandem deſcribentem audiamus. Hæc eſt ſcientia ſcientiarum, angelorum ferculum, archangelorum pulmentum, apoſtolorum gloria, patriarcharum fiducia, prophetarum ſpes, martyrum corona, virginum fortitudo, monachorum refectio, epi-

Plin. lib. 33. c. 8.
Sap. 11.
Iacobi. 3.
Ser. 2. Sum. ecc.
Sap. 1.
Iac. 3.
Pro. 17.
Sap. 1.
Pro. 30.
Pſal. 15.
Serm. 38. ad fratres.

ſcoporum vacatio, ſacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum reſurrectio, viuentium ſempiterna protectio. At quid fruſtra connitor rem verbis humanis, ne dicam angelicis inexplicabilem, verborum ambitu exprimere? cum nulla deſcriptione pingi, nulla hypotipoſi demonſtrari, nulla expolitione explicari, & nulla cõformatione ob oculos poni queat? Quis enim eius doctrinæ vim atque effigiem exponeret, quæ omnium partium conſenſione, conſtantia, atque integritate, eſt vniformis: quæ ſenſuum varietate & doctrinæ copia, cum doceat credenda, proponat ſperanda, commoſtret agenda, eſt multiformis: quæ cum ſit facta omnia omnibus, & cognoſcat omnia, eſt omniformis: quæ denique, cum ſit diuina, & idcirco nullam aliam ſibi ſimilem habeat, omnemque creatam mentem excedat, eſt nulliformis. Itaque, cum perdifficile ſit huius cęleſtis reginæ formam aliorum oculis ſubijcere, ſi quis eius effigiem, pulchritudinemque cognoſcere, ac intueri cupit, ad eam propius accedat. Ea eſt enim ſacræ Theologiæ vis atque natura, vt quo propius ad eam accedis, diligentiuſque eius formam contemplaris, eo formoſior atque auguſtior appareat: ita vt, & ſi inter mortales in terris verſetur, non mortalis, ſed æterna, non humana, ſed diuina, non terreſtris, ſed cœleſtis videatur. At vero humana ſcientia, ſi procul eam proſpexeris, formoſa atque venuſta videri poterit; ſi vero

Sap. 7.

ro

ro proprius intueare, ita tandem displicebit vt inspexisse pigeat,& pudeat. At vero hæc scientiarum domina procul spectanti, aut in exiguo lumine eam contemplanti poterit fortasse non admodum pulchra videri: quæ cum luce, & frequentia gaudeat,ad lucem spectari vult. Neque enim quisquam eius diuinam pulchritudinem, immortalemque suauitatem cognoscere poterit, qui non ad eam propius accesserit, qui non singulas eius pulcherrimi & castissimi corporis partes, membraque omnia inspexerit: qui eam in clarissima luce, in oculis omnium consilia principum moderantem,populorum effrenatos motus compescentem,iudicibus in grauissimis & maximis causis præeuntem, omnes homines docentem, & per omnium rerum naturas variegatis vestibus indutam, & omnium scientiarum comitatu stipatam, permeantem nō viderit. Tunc enim eius gratia,pulchritudo, venustas, vis maiestas, & diuinitas elucet: tunc quanta qualisque sit cognoscitur: tunc denique spectantium oculos afficit, & ad sui amorem animos rapit, atque transformat. Ad hanc ergo omnium sapientiarum & doctrinarum magistram, ac dominam accedamus, hanc cognoscamus, hanc amemus, & ea quæ nos docet audiamus, legamus, relegamus, perdiscamus,doceamus, atque ex eis viuamus,vt aliquando maximi in regno cœlorum simus. Mat.5.

Commendatur diuinæ scripturę studium ab eius varijs & maximis effectis. Cap. XV.

IN plures fortasse susceptam disputationem diduco locos, quam res ipsa, quæ per se clara est, exposcere videtur. Verum, in re vtili, hónesta, & necessaria suadenda, nulla oratio longa, aut tautologia fastidiosa videri deberet: præsertim, cum res de qua agitur, ob suam dignitatem & amplitudinem, latissimum præbeat ad dicendum campum. Quare, & vt breuitati studeam, & ne hanc diuinam sapientiam ad cuius studiũ omnium fidelium animos inflammare vellem, suis laudibus priuem, plures locos, non tamen omnes, quos potuissem, leui brachio, mihi tractandos esse iudicaui. Possumus ergo huius doctrinæ vim ac dignitatem ex mirificis, & pene innumerabilibus, quos producit effectibus perspicere: sed cum eorum bonam partem, alios locos explicãdo, hactenus attulerimus, ac etiam posthac allaturi simus, in præsentia, solum eos, quos regius propheta, hanc disputationem pertractando, luculenter atque artificiose psalmo decimo octauo attigit, prosequemur: ex quorum cognitione, qui ad hanc doctrinam perdiscendam non excitabitur, is certe stultus, vt leuiter dicam, iure censendus erit. In citato itaque psalmo, cum primum, tanquam artificiosus orator, diuinus ille vates cœlorum, ac syderum mirificos

rificos numerasset effectus, eosque pulcherrime amplificasset: postea legis diuinæ excellentiam ex suis effectis illis multo maioribus, & sublimioribus, cœlorum ac syderum dignitati & potestati longissime præfert. Ait ergo cœlos sua pulchritudine, ordine, conuersione, atque certa vicissitudine vim diuinam, æternique numinis gloriam ac maiestatem prædicare: idemq; singulos dies, & noctes certa accretione, diminutione,& vniformi varietate efficere: & hæc omnia ita Dei prouidentiam potestatem, & sapientiam manifestare,vt ad omnes terrarum oras eorum voces perueniant; vt nulla sit natio, quæ eorum loquelam non intelligat. Inter alia autem omnia, quæ aspectu sentiuntur, sol, qui est veluti omnium syderum moderator & dux,omniumque rerum caducarum conseruatio, & salus, cuius sedes in cœlis posita est, tanquam ornatissimus sponsus e thalamo, ab oriente,ad suũ cursum summa cum celeritate conficiendum, veluti velocissimus gigas,egreditur; & suis fulgentibus radijs omnes terras, tenebris fugatis, illustrat, ac omnium animantium oculos maxima lætitia complet; atque ita in omnes partes suam vim lumenque diffundit, vt nullus sit locus, quo eius fulgor & altrix virtus non penetret: cum omnia gignat, augeat, & aucta conseruet. Verum, licet pulcherrimus sit cœlorum,ac syderum prospectus, licet mirabiles operationes in hasce res sublunares cœlestes orbes producant,sine quorum tactu interirent omnia;

Arist.1. meteor. c.2. ideoque necesse sit, vt hæc inferiora motibus superiorum corporum sint subiecta, vt inde omnis eorum vis atque natura gubernetur: tamen diuinæ legis species multo est pulchrior, & facultas multo maior, per quam mirificos & humana lingua inexplicabiles effectus in hominum animis producit: ut multis partibus, & pulchritudine, & efficientia, hic spiritalis sol cœlos & sydera omnia antecellat. Etenim sapientia, vt scriptura docet, est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata
Sap.7. inuenitur prior: illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia: quoniam inextinguibile est lumen illius. Vi itaque & efficacitate sua lex diuina animas conuertit, sapientiam præstat paruulis, corda lætificat, & oculos illuminat. O quam desiderarem ut hic cœcorum hominum aperirētur oculi, & stupidorum excitarentur gustus! ut has mirificas diuinæ sapientiæ operationes, & vtilitates cernerent, & suauitates gustarent: quas sane uidit, & gustauit is, qui Domini iudicia auro & lapide preciosо desiderabiliora, & melle ac fauo dulciora esse asseuerauit. Quid enim potest esse salubrius, quam animas conuertere? quid vtilius, quam sapientiam paruulis præstare? quid dulcius, quā corda lætitia perfundere? Quid gratius, quam oculos illuminare? quæ omnia hæc cœlestis doctrina sua ui efficit. Hic mundanus sol est quidem solus, si cum stellis comparetur, cum cætera sydera eius utantur lumine; sed, si cum hac

Psal.118.

Psal.18.

diuina

diuina luce conferatur, nõ erit censendus solus, cũ sit hoc spiritali sole, & splendore & potestate inferior. Sol enim illuminat terras, lex hominũ mentes luce complet: sol fœcundat agros, lex humanos animos feraces reddit: sol dat colorem rebus, lex sapientiam paruulis: sol fructus in arboribus ingenerat, lex virtutes in hominum animis inserit: sol est veluti omnium syderum dux, quibus cum lumen suum communicat, lex alias doctrinas veluti regina, regit, suumque candorem illis impertit: sol solus inter sydera, lex lux sola inter disciplinas. Nulla itaque species pulchrior, nulla iucundior sese oculis spiritalibus potest offerre, quam huius solis in animo orientis aspectus: qui suo maximo fulgore erroris tenebras fugat, mentem exhilarat, lætitiaque omnes spiritales sensus replet, & in singulas animi partes vim suam altricem diffundit. Cedo mihi iuuenem asotum, prodigum, impurum, inconstantem, iracundum, superbum, ignarum, immanem, religionis euersorem, omnibus denique vitijs infectum, atque refertum; & fac vt huic diuinæ sapientiæ operam nauet, & vt huius solis splendorem in animum excipiat, & foueat: & statim eum tibi frugi, castum, placabilem, humilem, eruditum, mãsuetum, diuini cultus propugnatorem, & omnibus virtutibus ornatum restituam. Et hoc admirabantur gentes, & id stupebant olim philosophi, cum viderent homines breui temporis spatio in nostra schola, & doctos, & studiosos fieri, & hanc doctrinam vere

Pſal.18. cæcorum oculos illuminare, & ſapientiam dare
paruulis. O igitur verum ſolem,& vere ſolam,
ac ſingularem ſapientiam! Tu vitiorum expul-
trix, virtutum magiſtra, & vitæ dux. Tu vere
omni auro, & lapide precioſo es deſiderabilior,
melle & fauo dulcior: aurum tibi comparatum
Sap.7.8. arena eſt exigua, & argentum lutum. Tu om-
& 9.& 10. nia innouas, prophetas conſtituis, amicos Dei
facis, homines ſaluas, & infantium linguas di-
ſertas reddis. Hæc, hæc, o amice lector, pri-
mum hominem a delicto eduxit: hæc iuſtum
Gen.28. Noe ab aquis diluuij conſeruauit: hæc Loth a
37. pereuntibus impijs liberauit: hæc profugum ab
ira fratris deduxit per vias rectas: hæc vendi-
tum iuſtum non dereliquit, ſed a peccatoribus
eripuit: hæc denique intrauit in animam ſerui
Exod.5. Dei, & ſtetit contra reges horrendos in porten-
tis & ſignis. Conſulat hic candidus lector de-
cimum libri ſapientiæ caput, & quid hæc diui-
na ſapientia poſſit,& hic ſupramundanus ſol ef-
ficiat, plenius intelliget. Nunquam ergo hunc
ſolem a filijs tenebrarum, & cæcis hominibus
nos cęcare volentibus e mundo tolli, & ab ocu-
lis noſtris remoueri patiamur: quo ſole nihil
maius, nihil melius, nihil iucundius ab immor-
tali Deo nobis miſeris cæciſque mortalibus tri-
butum fuit. Hac enim ſapientia ab humanis
mentibus ſublata,quid inter hominem & pecu-
dem interſit, non uideo: niſi quod pecus com-
moditates multas humano generi affert, homo
vero ignarus, & inſipidus, aut detrimenti mul-

tum, aut certe vtilitatis nihil: qui cum nec sibi, nec alijs prosit, a consociatione humana eijciendus, & luce indignus, cum lucem fugiat, iudicandus esset. Nos itaque, quibus sol iustitiæ exortus est, eos abijciamus, qui iustitiam damnant, qui lucem oderunt, qui hunc solem extinguere conantur: eos inquam, qui suis vanis opinionibus pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis sectis, quas praue introducunt, benemeriti, quā de se male: qui cum habeant iter rectum, & clarum, deuios & obscuros sequuntur anfractus, planum deserunt, vt per præcipitium labantur: lucem relinquunt, vt in tenebris cœci, ac debiles iaceant. Quibus consulendum est, ne contra se pugnent, nec sibi nec alijs oculos effodiant: velintque se tandem a suis erroribus liberari: quod vtique facient, si quæ sit vera sapientia, vera Ecclesia, extra quam nulla est salus, perui-derint, & in ipsum iustitię solem, iuste viuendo, inspexerint. Et quoniam nullæ eloquentiæ vires huius supernaturalis solis mirificas operationes, non dicam verbis exornare, sed ne enumerare quidem dicendo, posset; ideo rei magnitudine vna cum Dauide victus, cum admiratione, aliter tamen, quam ille, concludam. Ille enim cum insignes huius sacrosanctæ doctrinæ numerasset effectus, in hæc verba affectus plena, prorupit: Delicta quis intelliget? Hoc est, cum hęc cœlestis sapientia mentis aciem illustret, pietatem doceat, animos exhilaret, solicitudines pellat,

Lact. lib. 1. cap. 1.

Psal. 18.

lat, & amplissima prętmia suis cultoribus tribuat, quis erit, non dicam qui re ipsa contra hanc sanctissimam legem peccet, sed nec animo quidem concipere vllum peccatum audeat? Ego vero ita concludam, si hæc sapientia est ita digna, ita fructuosa, ita suauis, quis erit ita durus, & animo ita obstinato, ac sibi ipsi ita inimicus, vt talem ac tantam, tamque salutiferam doctrinam sibi comparare nolit? si talis ac tanta est, quis contra eam quicquam cogitare poterit? Hic ego piorum mentibus cogitandum relinquo, quid cœli omnes, stellę & sydera omnia, in hoc inferiore mundo tactu suo efficiant, quãtumque, quę hic sunt, ab illorum efficientia pendeant: id, cum viderint, mentis aciem in hanc cœlestem lucem, in hunc lucentem solem conuertant, & diligenter inspiciant, quid hic sol,
Psal. 18. hæc stella, hoc mysticum cœlum, quod vere enarrat gloriam Dei, in humanis mentibus, & in spiritali mundo, a mundi exordio effecerit, & ad mundi finem vsque sit effecturum, & quæ sit huius doctrinæ vis atq; celsitudo, aliqua ex par-
Gen. 1. te intelligent. Ex hac itaque lege, veluti a quodam sole, maioreque luminare, Ecclesia, ueluti quędam luna, & omnes Ecclesiæ doctores, quasi quædam stellæ suum lumen splendoremq; recipiunt. Verum, ut quod considerandum alijs relinquimus, percipiatur melius, de fructibus, qui ex diuinæ legis studio capiuntur, sequẽti capite, breuius tamen, quam res tanta dici non modo posset, verum etiam deberet, aliquid scribemus.

Varij

Varij & mirifici numerantur fructus, qui ex rerum diuinarum studio colliguntur.
Cap. XVI.



X mirificis ac pene innumeris effectibus, quos hæc cœlestis doctrina producit, suauissimi, ac fere innumerabiles oriũtur fructus: quorum non nullos legentibus gustandos proponam, vt, vbi quam sit lex diuina suauis senserint, in ea die ac nocte meditari velint. Primus ergo huius sacri studij fructus, quo nemo est mortalium, qui vesci non percupiat, est indicium quoddam prædestinationis, hoc est beatitudinis assequendæ, nota quædam. Id, aliqui sancti patres, & aperte docent, & ex sacris literis non obscure demonstrant. Huc pertinet hæc Seruatoris nostri sententia: Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo nõ estis. Alibi respondens Pilato, dixit: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Et regius propheta eum vocauit beatum, qui in hac doctrina die nocteque meditatur. Et si beati vocantur qui audiũt verbum Dei, & custodiunt illud, cur non etiã illi, qui in eo intelligendo, explicando, ac defendendo, modo ex eo viuant, perpetuo laborant? cum scriptum sit, Qui elucidant me, æternam vitam habebunt. Secundus fructus optimus, ac suauissimus, est maximum quoddam robur, quo firmiores, & munitiores spiritu

Aug. de prædest. sanct.
Greg. in c.4. lib.4. Reg.
Ioan.8.
Ioan. 18.
Psal. 1.
Luc. 11.
Eccl. 24.

ſpiritu redduntur, qui his diuinis ſtudijs delectantur: quo fructu qui non indigeat inuenies
Iob.7. neminem. Sumus enim, dum hoc degimus æuũ, in agone & militia conſtituti, varijs inimicorum inſultibus expoſiti, & hoſtibus potentiſſimis vndique obſeſſi: & qui non exiſtimat ſe eſſe in militia, is certe vel in ſtultitia, vel in malitia
Iſa.48. verſatur: & qui pax, pax dicunt, ij non habent pacem, vt impij omnes. Egemus itaque & auxilio, & armis. Arma autem militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritalia, vt prudentiſſimus
2.Cor.10. ille miles Paulus Apoſtolus nos ſapienter docuit. Officina, in qua hæc arma fabricantur, & aſſeruantur, eſt ſcriptura diuina. Hortatur ergo nos Paulus ad arma ſpiritalia ſumenda, his
Eph.6. verbis: De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, Induite vos armaturam Dei: vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ, in cœleſtibus, ideſt contra nequiſſimos ſpiritus in hoc caliginoſo aere habitantes. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, id eſt, in difficili tempore, & in omnibus perfecti, ideſt omni ex parte armati, ſeu adhibitis omnibus, ad hoc bellum neceſſarijs, ſtare, & ſubſiſtere poſſitis. Quo etiam loco monet, vt ſimus lumbis ſuccincti, ideſt expediti veritate: & vt loricam iuſtitiæ, ſcutum fidei,

dei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, sumamus. Ecce igitur vt omnia arma ex hac vna panoplia nobis promenda sunt: ex qua Imperator noster Christus, quando singulari certamine, cum Diabolo pugnauit, arma cepit, & capienda esse docuit: quibus omnes callidissimi hostis petitiones & ictus vanos reddidit. Hanc vtilitatem ex diuinarum scripturarum lectione nos haurire posse, sancti patres sępenumero nos monuerunt; & speciatim beatus Chrysostomus diuinarum literarum studiosissimus, scripturarum exercitationē ad omnes Dęmonis insidias excludendas conferre, dixit. Et Theophilactus tractans illud, Non tentabis Dominum, animaduerte, ait, quanta sit vtilitas scire scripturas: scripturis enim Dominus Satanam repellit. Tanta est vis amorum ex scriptura sumptorum, vt nunquam ita neruose Ecclesiam & fidelis omnes Dæmon oppugnet, sicuti, cum arma, male tamen accommodata, ex hac officina sumit: quorum armorum vis, armis in eadem officina fabricatis, retundenda est. Si itaque inimicus hostis insurgat, teque hoc telo petat: esto superbus, tu ictum vitabis, si dixeris; Deus superbis resistit: si suggerat vt auaritiam sequaris, refelles, si dixeris, auaritia est idolorum seruitus: si suadeat vt desperes; vanum hunc ictum reddes, si Filium Dei in hūc mundum ad saluandos peccatores venisse dixeris: & denique nullo armorum genere aggredi te poterit, quin tu, armis ex hac panoplia acceptis,

Mat. 4. Ignat. Hom. 36. in cap. 15. Genes. In Luc. c. 4. 1. Pet. 5. Ephes. 5. 1. Tim. 1.

acceptis,te defendere queas.Quare,si his nostris calamitosis temporibus bellicosissima alias Germania his armis fuisset armata,callidus aduersarius, armis ex scriptura pessime conflatis, non tantam in ea fecisset stragem. Vtinam hæc saperent,& intelligerent ij,qui sese alij duces prębent, qui Ecclesiæ defensionem contra oppugnatores se suscipere profitentur: ij inquam,
Cant.3. qui lectulum Salomonis, Fidelium nimirum congregationem in qua Christus conquiescit, tanquam fortissimi ex Israel, & doctissimi ad bella propter timores nocturnos, ambire deberent. Qui ergo hoc sacro studio non delectantur, qui hæc arma non tractant, de sua spiritali salute parum soliciti esse videntur: & in ea grauissima pugna in qua de summa rerum, de cœlesti regno, de perpetua felicitate agitur, volunt esse inermes. Sed ad reliquos fructus recensendos, iam nostra redeat oratio, cum magis fideles fraterne ad hoc studium excitare, quam aliquorum negligentiam damnare velimus: atque
Psal.118. cum propheta concludamus: Nisi quod lex tua meditatio mea est, vel, vt alij vertunt, consiliarij mei sunt, forte, hoc est certissime perijssem in humilitate mea. Tertius fructus,qui, si non est eo,quem proxime protulimus salubrior, certe,non est insuauior. Qui in agro sacræ scripturæ laborant,eum suauissimum fructum gustant, quod voluptatem quandam, & quoddam spiritale gaudium verbis inexplicabile, sentiunt, maximamq; consolationem capiunt, etiam si quid
eis

eis molestiarum acciderit, & in eos graues calamitates incursauerint. Hunc fructum si homines gustarent, vitam quandam beatam, & mœroris vacuam in hoc mundo traducerent, & vna cum propheta canerent: Cantabiles erant mihi iustificationes tuæ in loco peregrinationis meę. Psal. 118.
Hunc fructum nobis indicauit Apostolus, cum quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta fuisse dixit: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Si, ait Gregorius, ad consolationem nostram scriptura parata est, tanto magis debemus legere, quanto ardentius nos concupiscimus sub tribulationum fasce lassari. Regius item vates, egregia quadam similitudine, huius fructus suauitatem expressit, cum hunc in modum cecinit: Lætabor ego super eloquia tua, sicuti qui inuenit spolia multa. Quibus sane verbis, tanquam optimus orator, luculenter militis, vt erat, loquentis, decorum seruauit, & rem, vt volebat, vehementer amplificauit. Etenim, nihil potest forti, & glorioso duci accidere iucundius, quam vt de inimicis opima spolia referat: quæ si retulerit, lætitia gestit, & exultat. Tantam ergo ex diuinis eloquijs voluptatem, tantumque gaudium ille diuinæ legis studiosissimus Rex capiebat, quantum ex maximis inimicorum spolijs, percepisset. Ideo paulo post, hæc alia adiecit verba: Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum: Ac si dixisset; maxima o Domine, animi tranquillitate perfruuntur, qui amant legem.

Rom. 15.

Psal. 118.

gem tuam: qui in nullum ſcandalum illidunt: nec vnquam ita offenduntur, vt a lege tua diſcedant. Huius itaque fructus ſuauitate percepta, in hæc uerba dulcitudinis plena prorumpere potuit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo. Hunc eundem fructũ his verbis, eleganter nobis expoſuit Hugo. Nihil in hac vita dulcius ſentitur, nihil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat, & iuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, ſicut ſtudium ſacræ ſcripturæ. Sed quam ſit hic fructus ſuauis, nemo percipiet vnquam, niſi qui ex arbore huius ſcientiæ ex ſe decerpſerit, & in os ſuum iniecerit, dentibuſque cogitationis contriuerit. Hæc vitæ arbor, huiuſmodi fructum, vt id obiter dicamus, duplici de cauſa producit: altera quidem, quia ſacra pagina nobis manifeſtat, ac certiſſime promittit maxima illa gaudia & præmia, quæ ob eas, quas hic patimur moleſtias, adepturi ſumus; cum Deus torrente voluptatis ſuæ potum dabit nobis. Altera vero, quod ipſamet diuinæ ſcripturæ lectio quoddam gaudium in cor legentium ingerit; quod eſt huius doctrinæ proprium. Nanque, per hos ſacros libros, is nobiſcum loquitur, qui eſt totius conſolationis auctor: cuius loquela non poteſt non eſſe ſuauiſſima & iucundiſſima. Ideo legis huius ſtudioſiſſimus vates, aiebat: Audiam quid loquatur in me dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Pſal. 118. lib. 1. de anima. Pſal. 35. 1. Cor. 1. Pſal. 84.

Aliorum

Aliorum enim librorum auctores extrinsecus loquuntur: at vero huius doctrinæ auctor, intus in nobis loquitur. Quandocunque igitur scripturam legimus, dicere cum sponsa possumus: En dilectus meus loquitur mihi. Propterea quidam sanctus vir, sapienter dicebat, cum oras, tu cum Deo loqueris; cum vero scripturam legis, Deus tecum loquitur. Quartus fructus, quem diuinorum oraculorum studiosus percipit, est quędam quotidiana hominis interioris innouatio. Etenim cum quotidie ob calorem concupiscentiæ aliquid de spiritali humore diminuatur, quo fit vt languidiores & imbecilliores euadamus, quotidiana instauratione indigemus, quæ a diuina scriptura, tanquam ab arbore vitę, in Ecclesiæ paradiso plātata sumitur. Siquidem, vt arbor illa in terrestri paradiso ad vitam corporis instaurandam plantata fuit, ita in Ecclesia, arborem vitæ, quæ est scriptura, plantauit Deus, vt eius esu spiritalem vitam, vt aquila solet, innouemus; ne in ætatem senilem, imbecillem, & ociosam deueniamus. Propterea scriptum est, eos qui sapientiam diligunt, vitam diligere, & hæreditare, ipsamque suis filijs vitam inspirare. Qui igitur volunt spiritu innouari ex hoc vitæ ligno in medio plateæ omnibus exposito, vitales decerpant fructus. Quintus, qui ex hac fœcundissima arbore colligitur fructus, est quædam mentis illuminatio qua ij, qui quotidie magis magisque in hoc studio versantur, plura & clarius, quam alij vident: quia, vt supra scripsimus,

Cant.2. Dionys. Carth. Gen.2. Psal.102. Plin. lib. 10.c.3. Eccl.4. Apo.22.

psimus,christiana doctrina est participatio quædam diuini luminis,& idcirco, vt regius prophe-
Psal. 17. ta scripsit,oculos & tenebras nostras illuminat: ideoq; lux,lumen sol, & lucerna vocatur:quam in caliginoso loco lucere, donec dies illucescat,
2.Pet.1. & oriatur lucifer, affirmauit Petrus. Hic caliginosus locus nihil est aliud, quam naturalis co-
Arist. lib. de aïa. gnitio, siue humanus intellectus, qui est veluti tabula rasa: lucerna vero, est ea notitia,quæ habetur per euangelium in statu gratiæ; quæ nobis lucet, donec oriatur lucifer, & clara dies, cognitio videlicet manifesta rerum diuinarum
Psal. 118. in vita beata. Vere itaque propheta canit: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.Quantam vtilitatem,quantumque emolumentum hic fructus afferat,is intelligeret, qui oculis mentis videret, quantum sancti patres clarissima nostræ religionis lumina, & sibi & alijs hoc illustrati lumine, viderint: qui tanquam ingentes faces in altissima specula, & quasi lucernæ super candelabrum positæ om-
Mat.5. nibus,quia in via,& domo Domini sunt,lumen præbent.Est itaque mens eius,cui hoc clarum lumen illuxit, veluti clarissima quædam dies, in qua quidquid oculis obijcitur, clare cernitur. Poterit igitur diuinæ legis meditator, pie cum
Psal.118. propheta dicere. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Sextus fructus est, quod diuinarum literarũ tractatione, ac meditatione omnis mentis frigi-
ditas,

ditas, ac tepor erga res diuinas expellitur, atque in rerum cœlestium contemplatione incalescit animus. Nemo fere est, qui aliquo bono desiderio non sit affectus, qui aliquam honestam viuendi rationem inire non cupiat: sed frigide volumus, tepor executionem impedit. Si quis ergo cupit calidus fieri, ad hanc igneam legem accedat, hanc sapientiam vxorem ducat, cum ea dies noctesque versetur, & cor suum ardere sentiet. Hinc est quod regius vates cecinit: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud: Et alio loco: In meditatione mea exardescet ignis. Si ergo hoc volumen, quod Zacharias vidit, ad domum furis & iurantis venerit, eum, & eius ligna ac lapides, idest omnia ipsius peccata, suo ardore consumet. Septimus fructus, qui in hæc christiana studia operam suam collocant, vnum peccatum certissime subterfugiunt, in quod bene multi, & mali hac in parte christiani, labuntur: quia, dum hæc studia tractantur, id saltem discitur, quod homini salutem consequi volenti, discere est necessarium. Omnes enim Christi fideles, vt apertius postea dicetur, cum de huius doctrinæ necessitate disputabitur, aliqua ex parte ad hanc doctrinam discendam sunt obligati. Quoniam, qui non crediderit, salutem consequi non poterit: credere autem nequit, qui, quid credendum sit, ignorat. Idem de ijs, quæ agenda sunt, intelligendum est: quoniam si absque operibus fit iustus nemo; proculdubio eorum quæ agenda &

Deut. 33. Psal. 118. Psal. 38. Cap. 5. Greg. Mar. 16. Rom. 10. Iac. 2.

fugienda ſunt, aliqua erit cunctis fidelibus neceſſaria cognitio. Labem igitur illam turpiſſimam affectatæ ignorantiæ fugiunt, qui hoc delectantur ſtudio, & ea ſcire ſtudent, quæ ad chriſtiane viuendum, & ad beatitudinem acquirendam ſunt neceſſaria: nec eis turpis illa nota poterit inuri, quod noluerint intelligere, vt bene agerent. Namque, vt ſapienter quidam philoſophus affirmauit, ſolum de illis vere dicitur, Omnis ignorans malus, qui ea ignorant, quæ ad recte vitam inſtituendam, artemque ſuam bene exercendam, ſcitu ſunt neceſſaria. Ego quoſdam noui homines doctoris dignitate inſignitos, ſi tamen hoc nomine digni ſunt doctores ij, qui prima chriſtianæ philoſophiæ elementa, nondum didicerunt, qui multa ignorabant, quæ etiam ipſos pueros ſcire oportet, & in multis errabant, in quibus paruulos & infantes errare puderet. O tempora! o mores! Iudæi & hæretici, maxima cum diligentia ſe, ſuosque ſuis erroribus imbuunt, & apud nos ſæpenumero etiam homines ætate maturi, & ſenio confecti, ea, ſine quorum cognitione ſalutem cōſequi nequeunt, ignorant. Et quidem multi pſeudoapoſtoli, & cacodidaſcali diligentiores ſunt in vertendis, & euertendis diuinis ſcripturis, quam multi ex ijs, quorum eſſet ſacras ſcripturas, non ſolum exponere, ſed etiam contra antichriſtianos, & Eccleſiæ aduerſarios tueri: vt iam nimis verum ſit illud: Prudentiores ſunt filij ſeculi, quam filij lucis. Varie nanque pſeudologi ſcri-

Pſal. 35.

Auicen.

Luc. 16.


pturas exponunt, & exponendo peruertunt, ac corrumpunt, & corruptas varijs modis legendas proponunt; dum ſcribunt catechiſmos, centurias, locos communes, poſtillas, agendas, inſti- Ioan.
tutiones, & apologias, quibus rudiorem plebem Grop.
nouitatis ſtudioſam, ſuis iſtis circeis poculis, dementant. Sed non eſt hic locus deplorandi latius ſecordiam, & negligentiam noſtram. Octauus fructus, quem ſola hæc arbor, & nulla alia producit, eſt, quod hæc doctrina, vt ſupra etiam ſcripſimus, non ſolum, quid faciendum ſit, docet, ſed etiam ad id, quod docuit faciendum vires ſubminiſtrat: propterea priuata christiano- Ioan. 13.
rum nota, hæc eſt, quod bonis operibus ſuam oſtendant fidem, & in hoc demonſtrent ſe eſſe chriſtianos, quia inter ſe amant. Et hinc eſt Pſal. 1.
quod pſalmographus eum, qui in lege diuina dies noctesque meditatur, ait eſſe tanquam arborem plantatam apud aquarum riuulos, quæ fructum ſuum dat in tempore ſuo, cui nullum decidit folium, ſed omnia feliciter ſuccedunt. Nonus fructus, ac vltimus, vt cæteros alijs colligendos relinquamus, eſt ille, quem guſtabunt perpetuo in cœleſti patria, qui ſacræ ſcripturæ operam nauarunt, quod ibi magni vocabuntur, & priuata quadam gloria fulgebunt, & aureola Mat. 13.
ornabuntur. Qui fecerit, & docuerit, ait Dominus, hic magnus vocabitur, ideſt erit in regno cœlorum: & Daniel, Qui autem docti fuerint, Cap. 12.
fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad Hieronym. ad
iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpe- Paulin.

tuas æternitates. Tandem, vt hunc de fructibus concludam locum, qui nam sint illi duodecim fructus, quos beatus Ioannes lignum vitæ produxisse narrauit, paucis explicabo. Flu-
Apoc.22. uius ergo, quem vidit Ioannes, est Spiritus sanctus, qui procedit a sede Dei Patris, & Agni, idest Filij, qui agnus Dei dicitur. Ad vtranque huius fluminis partem, idest ad vtrunque testamentum, quorum auctor est Spiritus sanctus, est lignum vitæ, sacra nimirum scriptura: quod lignum producit duodecim fructus, per singulos menses, idest perpetuo. Qui vero sint isti
Gal.5. duodecim fructus, docet Apostolus, cum ait: Fructus autem spiritus, est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Huius etiam arboris folia sunt ad sanitatem gentium, idest minima quæque, apices etiam ipsi, sunt salutares. Qui hos suauissimos Spiritus sancti fructus gustare noluerit, fructus
Gal. 5. gustabit carnis, qui sunt, Fornicatio, immunditia, impudicitia, & multi alij, quos recenset Pau-
Rom.9. lus. Nos itaque fideles, qui non sumus filij carnis, sed spiritus, spiritalibus fructibus ex hac arbore uitæ decerptis spiritum nostrũ pascamus: & ita multas alias utilitates, quas Sapiens in ecclesiastico numerat, ex hoc studio percipiemus; quas huc afferre potuissem, sed dulcius, & ple-
Ecci. 4. & 15. nius lector in ipso vberrimo & plenissimo fonte bibet, cuius haustu atque potu conceptam uisceribus sitim sedabit, ardoremque restinguet.

Eo

Eo igitur eum mittimus, & ad ea, quæ nobis explicanda restant, properamus.

Diuinæ sapientiæ studium omnia, tum animi, tum corporis bona suis cultoribus affert. Cap. XVII.



OLENT Cęsarei iuris professores cum ad titulum de pupillari substitutione explicandum aggrediuntur, quod & Perusiæ, & Patauij me obseruasse memini, suos auditores ad eam materiam attente audiendam, ac diligenter cognoscendam excitare, id referendo, quod Baldus sibi accidisse scribit, nimirum, se plusquam quindecim millia ducatorum hac sola substitutionũ doctrina lucratum fuisse. Ego vero, me parum liberaliter & honeste cum meis lectoribus agere existimarem, si spe tam vilis boni, cuiusmodi sunt pecuniæ, ad hæc diuina studia colenda eos inflammare vellem: sed hæc, & longe plura maioraque bona vna cum ipsa sapientia diuina, eis proponam: vt tanto bonorum cumulo proposito, nemo sit ita demens, vt vera & certissima sibi proposita præmia adipisci nolit. Nihil ergo æterna sapientia, quæ animos nostros erga se parum affectos esse nouit, intentatum reliquit, vt ad se nos alliceret, atque pertraheret. Et quoniam humana voluntas ad nullam rem appetendam mouetur, nisi sub specie boni proponatur; propterea, vt nulla nobis relinqueretur Alex. Iason.

excusationis via, sese sub omnis boni ratione amplexandam proposuit. Est autem omnis boni vis in tres distributa partes, nimirum in honestatem, vtilitatem, & delectationem: quæ etiã in bona animi, corporis ac fortunæ partiri solẽt. Quæ fortunæ bona vocantur, non sunt in nostra potestate: quorum alia in aliorum animis possidemus, vt gloriam & famam: alia rebus ipsis, vt diuitias, & opes. Si ergo hæc omnia bonorum genera hanc, quam celebramus theosophiam nobis afferre demonstratum fuerit; nemo proculdubio erit, stultos & impios homines excipio, qui ad eam acquirendam insudare nolit. Nam, si minus vno vel altero genere, aliquis se capi siuerit, saltem ui atque cumulo bonorum omnium, quæ hæc vna scientia polliceri ac præbere potest, facile capietur. Sed iam rem, quæ aliquibus paradoxo persimilis videri posset, verissimam esse, ipsa Spiritus sancti auctoritate, demonstremus. Quod ergo ad animi bona, quæ in genere honesto reponuntur attinet, certissimum est hanc doctrinam secum omnes virtutes afferre, & nullam posse esse veram virtutem in eo, qui huius doctrinæ fuerit ignarus. Qui seruiunt ei, ait scriptura, obediunt sancto:
Ecci.4. & eos, qui diligunt illam, diligit Deus. Deus autem neminem diligit, nisi eum, in quo sunt virtutes omnes, quæ esse non possunt nisi in eo, qui fuerit caritate ornatus: quam sine hac scientia habebit nemo. Et si iustitiam, quis diligit, inquit sapiens, labores huius magnas habent

virtutes:

virtutes: ſobrietatem enim & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus nihil eſt in vita hominis vtilius. Cum ergo ſecum magnas virtutes huius ſapientiæ labores afferant, & vna magna virtus omnes alias, vt communis omniũ philoſophorum ſententia docet, ſocias habeat, neceſſario omnes honeſti partes, virtutes nimirum omnes, hæc ſacra doctrina ſecum afferet. Quod ad virtutes cognitionis attinet, Sapiẽs ipſe, quid dicendum ſit, aperiat. Et ſi multitudinem ſcientię deſiderat quis: ſcit præterita, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum: ſigna & monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum & ſęculorum: & in ſumma ille qui diuinitus hac ſapientia ornatus fuit, diſputauit ſuper lignis a cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſopum, quæ egreditur de pariete. In bonis vero corporis nihil eſt, quod magis a mortalibus deſideretur, quam longa vita; quod autem hoc bonum hæc ſapientia ſuis amatoribus præbeat, certiſſimis ſacrorum librorum teſtimonijs breuiter confirmabo. Fili mi, ait Sapiens, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi: & alibi: Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: vita enim ſunt inuenientibus ea, & vniuerſæ carni ſanitas. Immo, ſi diligenter diuina eloquia perlegeris, non ſolum ſanitatem, & longam vitam, ſed etiam incorruptionem, immortalitatem, & beati-

Clemens Alex. lib. 2. ſtro.

Sap. 8.

3. Reg. 4.

Prou. 3.

Prou. 4.

beatitudinem ipſam præbere inuenies; quod mirum videri non debet, cum ipſa ſit immortalis. Noſſe enim te, ſapiens loquitur, conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. Huc etiam facit illa eiuſdem ſapientis pulcherrima gradatio. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt: & dilectio cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Et paulo infra; Multitudo autem ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum: & Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt. Quod autem ſapientia ſit quoddam bonum hominibus delectabile, quid eſt cur pluribus demonſtrem, cum ipſa palam dicat, delitias ſuas, eſſe cum filijs hominum? Quod ſi ſapientiæ delitiæ ſunt, eſſe cum hominibus, quanto magis delitiæ hominũ eſſe deberent cum ipſa ſapientia verſari? Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiã, & gaudium: & amicitia illius conuerſatio bona. Merito igitur Sapiens ait: Propoſui ergo hanc addu cere mihi ad conuiuendum: ſciens quoniam me cum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tędij mei. Quod ſi ad corporis valetudinem conſeruandam, atque ad vitam in longum producendam animi tranquillitas, ac lætitia, vt artis medicæ periti docent, & ſacra eloquia non vno in loco teſtantur, maxime conferunt;

Sap. 15.
Sap. 6.
Prou. 8.
Sap. 8.
Prou. 17.

ferunt; hoc etiam veræ ſapientiæ ſtudium, quippe quod multum voluptatis ſecum afferat, idem efficiet: idque cauſa eorum dixerim, qui ideo ſtudia abhorrent, quod bonæ valetudini multum obeſſe videantur. Quid poſtea de honoribus fama, & gloria dicendum ſit, is auctor dicat, qui dicendo mentiri nequit. Ait ergo Salomon: Habebo per hanc claritatem ad turbas & honorem apud ſeniores iuuenis: & acutus inueniar in iudicio: & in conſpectu potentium admirabilis ero: & facies principum mirabuntur me. Tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient: & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam in his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, o reges populi, diligite ſapientiam. Huc etiam pertinet, quod alio loco diuina ſcriptura dicit: Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternum. Poſſent itaque, qui vera ſapientia non ſunt ornati, de viro ſapiente dicere: Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt: nam nos vita viuimus tantum, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. Denique, de opibus & diuitijs auſus eſſem polliceri nihil, cum hanc vnam ob cauſam hæc diuina ſapientia ab ijs, qui opes quærunt negligi ſoleat, quod diuitias non pariat: & vt inepti, inepte dicunt, non ſit de pane lucrando, niſi quæ afferam, ipſamet diceret. Ipſam igitur loquen-

Sap. 6.
Ecci. 37.
Ecci. 48.

loquentem, & ſuam cauſam agentem audiamus. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſu-
Prou.8. perbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro & lapide precioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Et ſub Sapientis
Sap.6. perſona, ita loquitur: Ego præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua: & tanquam lutum æſtimabitur argentum in cōſpectu illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa: Item, ait eſſe infinitum theſaurum hominibus; quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei: propter diſciplinæ dona commendati. Si igitur huiuſmodi eſt hæc doctrina, vt nec argentum, nec aurum, nec regna cum ea comparari queant, ſi omnia ſecum bona affert, ſi infinitus eſt theſaurus, neſcio quas maiores opes expectēt, aut ſe acquirere poſſe putēt, qui alias diſciplinas lucri cauſa diſcūt, & pro-
Mat.13. fitentur. Venderent iſti, ſ. omnia bona quæ poſſident, vt eū emerent agrū in quo cęleſtis latet theſaurus. Aut diuinus ſpiritus, dum hæc nos docet errat, & falſas diuitias nobis proponit, noſque decipit, quod cogitare impium eſt, aut certe, quæ ſint veræ diuitiæ & opes, homines ignorant, ſeque ipſos decipiunt, dum veris diuitijs relictis, diuitiarum vmbram, aut pro veris diuitijs

tijs stercora perquirunt. Assumite ergo disci- Eccl.vlt.
plinam in multo numero argenti, & copiosum
aurum possidete in ea, sapiens loquitur. Pos-
sem hoc loco istos falsarum diuitiarum cupi-
dos, pulcherrimo illo, & verissimo M. Tullij
paradoxo, quo demonstratur solos sapiētes esse
diuites, vrgere: sed lectorem, ne longior sim, ad
ipsum Ciceronem reijcio. Illud tantum dicam,
quod aliquando idem Tullius sapientissime di- Pro.M.
xit: solos sapientes, si distortissimi sint, formo- Mur.
sos, si mendicissimi, diuites esse. Existimamus
fortasse Dauidem & Salomonem reges ditissi-
mos, & sapientissimos ignorasse quæ nam sint
veræ diuitiæ? quas autem Salomon veras diui-
tias iudicauerit, iam diximus, quas vero eius
pater, his verbis exposuit: Bonum mihi lex oris Psal.118.
tui super millia auri & argenti. Indefinite lo-
quitur, ait in hunc locum Cassiodorus, vt argen- Cassiod.
ti & auri comparatio in tali adiectione vilesce-
ret: quidquid enim dixeris, super, semper exce-
dit. Facta est ergo comparatio absque similitu-
dine, precium sine modo, amor sine fine. Vbi
nunc sunt qui dicunt medicinam afferre opes,
legum prudentiam honores, & artem milita-
rem gloriam? cur de hac cœlesti doctrina nul-
lam mentionem faciunt? An quia ipsi tanquam
talpæ sub terra iacentes, cœlestes diuitias non vi
dent? an quia quid singulæ afferant, non quid
vna sola doctrina secum apportent, exponere vo
luerūt? Quot Prælatos, quot Antistites, quot Præ
sules, quot deniq; bonos viros hæc præcelsa di-
sciplina

ſciplina illuſtres, fama, gloria, ſummis honoribus dignos effecit, & opibus repleuit? Quæ igitur doctrina omnia animi bona ſuis cultori-
Ecci.24. bus tribuit? niſi ea quæ dicere poteſt, Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis & ſanctæ ſpei. Quæ corporis bona? niſi ea quæ ait, In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Quæ lætitiam & voluptatem? niſi ea quæ ait, Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum: Qui edunt me, adhuc eſuriunt, & qui bibunt me, adhuc ſcitiunt. Quæ dignitates gloriam, & honorem? niſi ea de qua dicitur, Si er-
Sap.6. go delectamini ſedibus & ſceptris, o reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. Quæ tandem veram beatitudinem? niſi quæ
Ecci.24. ait, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Hæc itaque omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis. Erunt igitur ita ſtulti Chriſtiani homines, vt omnium bonorum vim in vna re ſibi propoſitã, appetere & conſequi nolit? & hac vna re poſthabita, omnium verorum bonorum genere ſe priuare?

Demonſtratur quantopere Theologia ſit reip. Chriſtianę, & ſingulis fidelibus neceſſaria. C. XVIII.



QVAMQVAM ex ijs, quæ varijs in locis a nobis ſupra ſcripta fuerunt, huius cœleſtis ſapientiæ non modo dignitas, & vtilitas, verum etiam neceſſi-

tas apparet: tamen, cum non nulli reperiantur, qui non facile ad aliquam rem consequendam commouentur, nisi aperte eius necessitatem viderint: propterea, quanta sit huius doctrinæ necessitas, hoc capite speciatim explicandum suscepimus. Rem igitur hanc, primum vniuerse ratione totius reip. Christianæ, postea priuate ratione ecclesiasticarum personarum, ac etiam reliquorum fidelium demonstrabimus: vt tandem nullum habeant profugium, qui hoc studium facile refugiunt, dum eius vtilitatem concederunt, necessitatem fortasse pernegarent. Est ergo in primis hæc doctrina ita humano generi, vel, vt nominatim loquamur, toti reip. Christianæ necessaria, vt sine ea consistere, conseruari, & ad propositum sibi finem peruenire, quod est certissima fide tenendum, nulla ratione queat. Nam, si hæc doctrina deserta & inculta maneret, si qui eam tractarent non reperirentur, omnia humana, atque diuina permiscerentur, omnia essent erroris & prauitatis plena; ipsa denique religio, ipsa totius reip. salus & conseruatio laberetur. Testes sint Gallia, Anglia, & Germania, prouinciæ olim huius religionis cultrices, errorumq; expultrices, in quibus, si magis huius disciplinæ studium viguisset, nullis nunc essent infectæ erroribus, sacræ theologiæ studiosos non lacerarent, eorum libros non comburerent, nec gymnasia euerterent: cum in ijs locis, in quibus viguit, vel malus homo non superseminauerit zizaniam, vel si semi-

ſi ſeminauit, non ſuccreuerit, vel ſi ſuccreuit, iam eradicata ſit. Contra vero apud exteras, barbaras, & ab orbe chriſtiano penitus remotas nationes, quæ nunquam chriſtianum nomen exaudiuerant, poſtquam hæc doctrina ſeminari cœpit, omni extirpata barbarie, omni impietate reſecta, honeſti coluntur mores, viret, ac floret religio. Qui ergo agreſtem immanemque vitam traducebant, huius doctrinæ auxilio, ſunt ad humanitatem atque religionem exculti. Harum vero gentium horridam barbariem, ferinos mores, exutamque impietatem, ij induerunt, apud quos hæc diſciplina, & verus Dei cultus negliguntur. Cum apud eos, ea crudelitatis & feritatis genera quotidie exerceantur, quæ a mundi exordio in nulla Scythia, in nulla Barbaria exaudita fuere. Quare, ſicuti ſi non eſſent qui legibus, qui medicinæ, qui alijs artibus operam darent, male eſſet reip. conſultum, & hominum conſociatio diſſolueretur; ita, ac multo magis, ſi hæc doctrina iaceret, chriſtiana religio deficeret, & omnium hominum ſalus, quæ ab hac vna diſciplina dependet, funditus euerteretur. Namque, ſine fide impoſsibile eſt placere Deo, quæ cum ſit ex auditu, qui eam doceant, reperiri neceſſe eſt. Ideo Chriſtus dominus miſſurus apoſtolos ſuos ad prædicandum, eos hac ſcientia, qua vniuerſum terrarum orbem ad verum Dei cultum conuerterent, repleuit; eisque, vt Euangelium omni creaturæ prædicarent, imperauit. Ea propter in-

Hebr. 11.

Rom. 8.

Mar. vlt.

in ſua eccleſia doctores hac ſapientia ornatos eſſe voluit, quod ſine ea conſiſtere non poſſe optime ſciret: & de eis dixit, qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et in antiquis literis quoties Deus ad huius doctrinæ ſtudium, nunc hortationibus, nunc pollicitationibus, nunc minis populum illum excitauit, & quod ab eis fuerit derelictum queſtus eſt? Hanc vnam ob cauſam, vt eſt apud Baruch, gens Hebręa perijt, quod hanc ſapientiam reliquiſſet. Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es? inueteraſti in terra aliena? coinquinatus es cum mortuis? deputatus es cum deſcendentibus in infernum? Dereliquiſti fontem ſapientiæ: nam, ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram. Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus; vt ſcias ſimul, vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax. Hæc eadem verba nunc diceret quiſpiam multis hominibus, multis ciuitatibus, & populis. Denique, cum Marcus Euangeliſta optime ſciret, quantopere huius doctrinæ ſtudia ſint in rep. Chriſtiana neceſſaria, Alexandriæ Academiam inſtituit, in qua huic præcipue diſciplinæ a fidelibus daretur opera: vnde, tanquam ex equo troiano, viri fortiſſimi ad expugnandos errores, & ad veritatem confirmandam, atq; conſeruandam prodiuerunt. In quibus, Pantenus, Clemens, Origenes, Trypho, Heraclas, Dionyſius, & Anatolius, numerantur. Eſt deinde priuatim hæc ſcientia neceſſaria Prę-

Epheſ.4.
Luc.10.
Cap.3.
Euſe.li.2. hiſ. eccle. cap.17.

latis Ecclesiæ, & præsertim pastoribus,& ijs qui se vtrunque testamentum scire profitentur: ijs, qui commissas sibi oues hac doctrina debent pascere: ijs quorum est paruulis petentibus panem frangere, cœcos ducere, lumen alijs præ-
Cant.3. bere, lectulum Salomonis custodire,vulpeculas
Cant.2. vineam demolientes capere: ijs denique, quorum est contra irruentes lupos latrare. Idem fere diceres de omnibus alijs, quibus animarum cura est commissa: quorum est inter lepram & lepram discernere: de occultis & implicatis causis iudicium ferre: grauissimis morbis medicinam facere: prima religionis elementa rudes docere, & religionis nostræ sacrosancta myste-
Cap.6. ria fidelibus ministrare. Ijs nanque omnibus, illud per Oseam a Deo dictum esse arbitror: Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plus, quam holocausta. Hic
Cõc. Tri. animum aduertant, obsecro, sacerdotes omnes,
ses.7.c.1. & ij maxime, qui curam animarum onus etiam angelicis humeris formidandum, susceperunt, aut suscipere volunt, quorum pectus, ex Origi-
In Leuit. nis sententia, debet esse plenum omni scientia, plenum diuina intelligentia, immo plenum Christo, immo plenum Deo, & veluti quædam
Hieron. Christi officina, atque huius diuinæ sententiæ vim diligenter perpendant. Quid magis ad sacerdotem pertinere existimaret quispiam,quam sacrificia Deo offerre? cum in hunc finem sacris initiatus sit,& inde etiam appellationem sumat, quod Deo sacra det: & tamen Deus ab eo magis
scien-

ſcientiam, quam ſacrificium, ſiue holocauſta, quæ ſunt maiora quædam ſacrificia, ſe requirere aperte dicit, ac ſacerdotum ignorantiam, vt poſtea docebimus, vehementer deteſtatur. Nec mirum videri debet, cur Deus tantopere in ſacerdotibus ſcientiam deſideret, cum ſcriptũ ſit: Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiã, & legem requirerẽt de ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt. Et quamnam legem & ſcientiã idiotę ab eo repoſcẽt? num Platonis & Iuſtiniani leges? num ſcientiam Ariſtotelis, Ciceronis, Terentij, Boccacij, & Arioſti? an vero hanc ſapientiã, ad cuius ſtudium ſacerdotes priuatim excitare conamur? Venire fingamus ad te, te alloquor, qui ſacerdotis perſonam ſuſtines, aliquem idiotam, qui legem de ore tuo requirat, & exempli gratia, ſymboli declarationem, rationem confitendi peccata, doctrinam de quattuor nouiſſimis, ſacramentorum ſumendorum modum: requirant coniuges dubia de ſuo ſtatu, mercatores, iudices, tabelliones, colybiſtæ, milites, & alij pariter de ſuo: quæ reſponſa dabit Dei angelus, niſi Chriſtiana doctrina fuerit imbutus? Decebit ne Dei nuntium obmuteſcere, aut male reſpondendo errare? & eum quem docet in eandem foueam, in quam ipſe labitur, pertrahere? Afferem hoc loco multa inſulſa, erronea, & lacrymis digna, quæ ab ignorantibus ſacerdotibus, idiotis legem requirentibus, aliquando data fuere reſponſa, ni pias legentium aures offendere timerem. Si peruerteret homo malus

Mal. 2.

ſcientiam Dei, quonam pacto indocta labia ea conſeruarent? qua voce canis mutus latraret? Videte igitur ſacerdotes, quam ſuſtineatis perſonam, & quantum onus. Angeli Dei eſtis, cœlitus tanquam Dei internuncij ad homines docendos miſſi, & ad eius ſcientiam cuſtodiendam deſtinati: vobis commiſſum eſt regnum cœlorum, ſacræ videlicet doctrinæ ſtudium, rerum diuinarum tractatio, & explicatio: cauete, ne a vobis hoc regnum auferatur: cauete, & diligenter quidem, ne in vos cadat illud: Qui ignorat, ignorabitur. Sed iam tempus eſt, vt etiam ſingulos Dei fideles ad habendam, aliqua ex parte, huius ſcientiæ cognitionem obligatos eſſe demonſtremus; idque pro inſtituto noſtro breuiter. Extra catholicam Eccleſiam, ſiue chriſtianam ſcholam, nulla eſt ſalus: cum nemo poſſit habere Deum patrem, qui non habeat Eccleſiam matrem. Illi autem de Eccleſia & Chriſti ſchola eſſe cenſentur, qui Chriſti fidem ſuſceperunt, quam ij ſuſcipiunt, qui Dei verbum audiunt. Aliqua igitur, quæ ad hanc ſcientiam pertinent, ſingulis hominibus cognoſcenda ſunt, vt credant, & fidem habeant, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Eſt autem hæc doctrina ſingulis hominibus ita neceſſaria, vt ſancta mater Eccleſia pueros, etiã ante rationis vſum, in ea inſtituat, & prius eos catechizet, quam ſacro fonte lauet: quod eſt omnino conſideratione dignum. Et tamen quam multi ſunt, o rem lacrymis dignam! qui hanc lectionem, quam ab

Mat. 13.
1. Cor. 14.
1. Pet. 3.
Heb. 11.

ab ipſa natiuitate audiuerunt, nunquam recognoſcunt, nunquam per totam vitam vident. Quos ſi interrogares, an ſint Chriſtiani & fideles, reſponderent, maxime: ſi percontari pergeres, quid nam credant, obmuteſcerent. Aliquis igitur in hac doctrina a ſingulis fidelibus faciendus eſt progreſſus: aliqua huic diſciplinæ danda eſt opera: aliquod ad eam percipiendam adhibendum eſt ſtudium, ſi iure fideles & Chriſtiani nominari volunt. Et quoniam ad iuſtitiam conſequendam, non ſolum fides, ſed etiam bona opera ſunt neceſſaria, aliquid amplius ſingulis fidelibus ex hac doctrina perdiſcendum erit. Quare, non ſolum credenda, ſed etiam agenda ei, qui vult ſalutem conſequi, hinc ſumere neceſſe erit: cum ſcriptum ſit: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Ex quibus, aliam colligeres huius doctrinæ prærogatiuam, quod ſine ea nemo fidelis vocari, nemo iuſtus, & beatus fieri queat: quod de nulla alia doctrina affirmare licet. Ideo Chriſtus dominus, cum dixiſſet apoſtolis, Prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur; non repetiuit, vt ingenioſe adnotauit Bernardus, qui non baptizatus fuerit, vt maiorem huius doctrinę cognoſcendæ, quam baptiſmi re ipſa ſuſcipiendi, neceſſitatem oſtenderet; cum nemo ſine fide poſſit beatitudine potiri, at ſine baptiſmo re ſuſcepto, maxime. Concludere igitur cum Sapiente licet, per hanc ſapientiam ſanatos fuiſ-

Iac. 2.

Marc. 16.

Mat. 19.

Bernar.


Sap. 9.

Sap. 13. ſe, quicunque placuerunt Domino a principio: & vanos eſſe omnes homines in quibus non eſt ſcientia Dei. Atque hæc de neceſſitate ſatis; cum omnia quæ in hac tractatione dicuntur, eandem neceſſitatem manifeſte demonſtrent. Hoc igitur de neceſſitate legis cognoſcendæ caput, verbis illius maximi legiſlatoris Moyſis, huc

Deut. 4. facientibus, concludamus: Et nunc Iſraël audi præcepta, & iudicia, quæ ego docebo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens poſſideas terram quā Dominus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Hæc eſt .n. ſapientia veſtra, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cęremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego propono hodie ante oculos veſtros? Cuſtodi igitur teipſum, & animam tuam ſolicite. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos. Glorientur itaque Chriſtiani ſuper omnes nationes, quod hac diuina ſapientia digni facti ſint, eam dies noctesque meditentur, & alios doceant.

Chri-

Christianam philosophiam omnium hominum ingenijs accommodatam esse, & quantum cuiq; ex ea cognoscendum sit, docetur.
Cap. XIX.



VONIAM vero de huius doctrinæ necessitate disputantes, non modo generatim vniuersæ Ecclesiæ, & eius pastoribus, sed etiam singulis fidelibus eam necessariam esse affirmare visi sumus; diceret modo quispiam, quo nam pacto possunt omnes huic scientiæ operam nauare, cum, vt nos supra diximus, tot rerum cognitio in eo desideretur, qui in eam operam suam sit collocaturus; & non omnium hominum idem sit ingenium, non eadem vis atque natura, sed ad diuersas artes, diuersi homines sint a natiuitate propensi; neque omnes ad diuinas literas tractandas sint a Deo vocati? Contra sanctorum itaque patrum sententiam, atque sacra oracula, & rationem ipsam omnes homines indiscriminatim ad hanc doctrinam inuitare, & excitare videmur. Verum, dum quodam vehementi desiderio flagramus, vt Christianę philosophiæ studium inter Christianos floreat, nihil, vel maiorum decretis, vel diuinis oraculis, vel rationi contrarium affirmare volumus. Vt igitur nostram intelligentiam planius explicemus, duo potissimum hoc capite docebimus. Primum hanc doctrinam omnium hominum ingenijs, Cap. 9.

aliqua parte, accommodatam esse ostendetur: deinde quoadusque cuique eam cognoscere, aut tractare liceat, vniuerse dicetur. Quod igitur ad primum attinet, alia sunt hominum ingenia ad eas res cognoscendas propensa, quæ sola cogitatione attinguntur, in quo genere eæ continentur res, quæ ab omni concretione materiæ sunt seiunctæ. Multi itaq; sunt, qui eam, quam dico rerum maximarum atque a materia seiunctarum notitiam consequi volẽtes, animique tranquillitatem expetentes, a negocijs publicis sese abducunt, & ad ocium contemplationis profugiunt. Quibus sane ingenijs nulla scientia potest esse accommodatior, quam hæc nostra: cum in ea de rebus maximis, diuinis, æternis, lumineque supernaturali cognitis, agatur: vt ex his, quæ iam scripta a nobis sunt, satis aperte constat. Ea propter, animæ, quę mundanis scientijs & curis relictis, sese totam huic sciẽ
Ose.2. tiæ tradit, dicitur, Propter hoc ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Huc faciunt, quæ sapientiæ capite septimo leguntur: Ipse dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & quæ sequuntur. Maneat igitur certum esse accommodatissimam ijs hominibus, qui cognitionis vita delectantur. Alia postea sunt ingenia, quæ non facile cogitationem ab omni materia abducunt, quo fit, vt in ijs rebus cognoscendis libentius occupentur, quæ corpore continentur, & non solum mente, sed etiam

phan-

phantaſia percipiuntur: vt ſunt, quæ in mathematicis diſciplinis tractantur. Quod autem ijs etiam hæc doctrina ſit accommodata, ſatis perſpicuum fiet, ſi quæ ſupra diximus, in memoriam reuocentur: Cap. 9. cum in hac ſcientia de numeris, de regionum deſcriptionibus & partitionibus, de aliquarum rerum ſtructura, de chronographia, de cœlorum ac ſyderum motibus, ſæpe habeatur ſermo. Alia deinde ſunt ingenia, quæ magis ſenſibus afficiuntur, & earum rerum cognitione gaudent, quæ ſub aſpectum, vel aliquem ſenſum cadunt: quibus etiam hæc ſapientia eſt accommodata: cum in ea de rerum creatione, gubernatione, ordine proprietatibus, ac de ipſo omnium rerum fabricatore agatur: ideoq; ſancti patres multa, quæ ad phyſiologiam pertinent, dum ſacram paginam exponunt, tractare conſueuerunt. Alij ſunt deinde homines, qui politica conſociatione, & officijs oblectantur, & propterea vitam communem, & in actione poſitam potiſſimum amant: quo fit, vt eos libros, qui de officijs, de moribus, & de rep. agunt, libentiſſime legant. At profecto, non video qui nam libri ijs poſſint magis ſatisfacere, quam ſacri codices, in quibus vniuerſa morum philoſophia perfecte continetur, & de ſtatu optimæ reip. a ſummo Principe conſtitutæ, agitur. Admirantur quidam, ac etiam diligenter colligunt neſcio quæ moralium philoſophorum dicta, bona ex parte a noſtris ſumpta, & ſine vlla admiratione, & notatione vident quoſdam ſacros libros,

bros, vt Salomonis prouerbia, Ecclesiastici sapientiam, & Dauidis psalmos, in quibus, quot sunt verba, tot sunt diuinæ, & ad omnem vitæ vsum maxime accommodatæ sententiæ. Sunt insuper, alia ingenia, quæ ad facultatem oratoriam libentius sese dedunt: atqui tanta est in sacris literis eloquentia, tantus rerum & verborũ ornatus, quantum nullibi reperies, modo scripturarum artem diligenter obserues: quod, qui non fateretur, is mihi prorsus oratoriæ facultatis videretur ignarus. Hunc etiam pertinent ingenia ad pöësim nata & facta, quibus etiam hęc diuina sapientia sese attemperauit. Siquidem inter sacros libros aliquot poetice scribi voluit; vt Iobi librum, quem artificiosissimus poeta Moyses, vt est communis scriptorum opinio, heroico carmine composuit, & vt multa omittam cantica, quæ sparsim in libris sacris habentur, psalterium, in quo omnes poeticos colores, omnes lepores, omnes sales, omniaque orationis lumina reperires. Vt verum sit, quod vir humanarum ac diuinarum literarum eruditissimus Cassiodorus aliquando scripsit: Omnis splendor rhetoricæ eloquentiæ, omnis modus poeticæ locutionis, quælibet varietas decoræ pronunciationis, a diuinis scripturis sumpsit exordium. Multi sunt, & bene multi, quibus humanarum legum studium arridet: at quæ vnquam lex antiquior? quę præstantior? quæ cognitione dignior, quam lex a Moyse tradita? a quo omnium antiquissimo legislatore, poste-

Grat.d. 33.

riores

riores multa ſumpſere: quam lex, inquam, diuina, ad cuius cognitionem omnes fideles hortamur? Fuerunt quidam, qui tantam dignitatem huic humanarum legum ſtudio tribuerunt, vt etiam philoſophię ſtudijs præferendum eſſe exiſtimauerint, ſed quam recte, viderint alij. Illud ego dixerim, tantum a ſtudio ſacræ Theologię iuris prudentiæ cognitionem diſtare, quantum, minima ſtella a ſole, corpus ab anima, ancilla a domina, cœlum a terra, creatura a creatore, & tenebræ a luce diſtant: immo omnis humana ſapientia, ſi cum chriſtiana conferatur, cœnum eſt, & ſtultitia. Sed cur tam multi diuinarum legum ſtudio relicto, humanis legibus cognoſcendis ſe totos tradunt? An quia magna eſt auaritiæ uis, ambitioniſque poteſtas? an quia multi laborem refugiunt? an quia videmus meliora, probamuſque, ſed deteriora ſequimur? De ijs vero, qui delectantur hiſtorijs, nihil eſt, quod dicam; cum ſacri libri perpetuam fere hiſtoriam contineant: cum ab hac diuina hiſtoria, humani hiſtorici multa deſumãt: cum ab hac vna cæteræ omnes initium capiant hiſtoriæ, cum ſit omnium antiquiſſima, & certiſſima: quo fit, vt in his quę narrat, ſit certa aliarum regula. Vnum reſtabat quaſi neglectum & deſperatum hominum genus, quod præteritum fuiſſe facile exiſtimaſſes, eorum videlicet hominum, qui rebus amatorijs delectantur, cui etiam ſapientia illa, quę cum filijs hominum verſari, ſuas delitias eſſe dixit, in canticis canticorum, in

Rober. Foliet.

Ludou. Viu.

Prou. 8.

ſupremo

ſupremo illo cantico,ac diuino epithalamio,vbi veri & caſti amoris vis atque proprietates, affectusque omnes mirifica quadam ratione exprimuntur, ſeſe accommodauit. Concludere ergo licet, eam ſapientiam, quę attingit a fine uſque ad finem,& diſponit omnia ſuauiter,in omnes ſeſe inſinuare,& neminem a ſe reijcere, niſi maleuolos, in quorum animam non intrat, niſi homines ſubiectos peccato, in quibus non habitat, niſi impuros, quia non ſunt margaritæ proijciendę porcis. Propterea tanquam mater, ut poſtea plenius ſcribetur, omnes tanquam filios, ad ſe uocat. Placet hoc loco ea quę diximus illuſtri diui Auguſtini confirmare ſententia. Hic, ait, loquens de hac ſacra doctrina, philoſophia; quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo creatore ſunt. Hic ethica, quoniam bona uita,& honeſta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda ſunt, & quemadmodum diligenda ſunt,diliguntur,hoc eſt Deus, & proximus. Hic logica,quoniam ueritas, lumenque animę rationalis,non niſi Deus eſt. Hic etiam laudabilis reip. ſalus:neque enim conditur & conſtituitur optime ciuitas,niſi fundamento,& uinculo fidei,firmæque concordię, cum bonum commune diligitur, quod ſummum,ac uerisſimum Deus eſt. Debuit ergo hęc ſpiritalis menſa omnibus fidelibus propoſita, omni ciborum genere eſſe inſtructa, ut omnes ijs ueſcerentur, quibus magis delectarentur cibis: debuit hic quotidianus panis, hęc cœleſtis

Sap.7.
Sap.1.
Epiſt.ad Voluſ.

aqua, & hoc myſticum uinum, & uitę lignum omnibus, qui in domo ſunt eſſe accommodatum, ut nemo eſſet, qui cibari ac refrigerari non poſſet. Ideo, ſi idiota legeret, In principio Deus creauit cœlum & terram, intelligeret: ſi eadem uerba aliquis diligẽtius perſcrutaretur, maxima in illis inueniret myſteria. Quare, eadem ſcriptura eſt lac paruulo, & panis adulto: ille ſugit, hic mandit, & vterque nutritur. Habet enim, vt ſcribit Gregorius, in publico, vnde paruulos nutriat, & ſeruet in ſecreto, vnde mentes ſublimium admiratione ſuſpendat: quaſi quidam fluuius, vt ita dixerim, planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet. Mirabilis fluuius eſt iſte, qui eſt ita planus, quod ibi agnus, ideſt ſimplex & illiteratus, poteſt ſiccis pedibus tranſire, & elephas, ideſt magnus & ſubtilis poteſt natare, immo poteſt ſe ſubmergere. Et Auguſtinus, ſic loquitur ſcriptura, ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, virture magnos paſcat, affabilitate paruulos nutriat. Hanc vim facultatemq; ea ſolum doctrina habere potuit, quæ a Spiritu ſancto dictata fuit: ob quam rationem, quæ eſt huic cœleſti diſciplinæ propria, omnes alias quam longiſſime antecellit. Et vt illud, quod etiam huic loco congruit, obiter dicamus, cuique in hac diſciplina pro ſuo ſtatu, non modò præcepta, ſed etiam recte viuendi exempla, quæ imitetur, reperire licet: cum in varijs quæ in ea proponuntur perſonis, diuerſorum ſtatuum demonſtren-

Gen. 1.

In prologo moral.

Lib. 2. de doct. cap. vlt.

monſtrentur ideæ. In Moyſe optimi legislatoris, in Aaron ſacerdotis, in Ioſue imperatoris, in Dauide regis, in Abraham patris familias, in Ioſeph paſtoris, in Iobo principis, in Loth ciuis, in Ionata veri amici, in Eſther reginæ, in Iudith viduæ, in Ruth ſocrus, & vt vno verbo concludam, nemo eſt, qui ad ſuam viuendi rationem ex ſacris literis, ad bene beateq; viuendum idonea exempla, promere non queat. Mirabili itaque Dei ſapientia atque prouidentia, ita ſacræ literæ exaratæ fuerunt, vt omnium hominum ingenijs eſſent accommodatæ: atque tanta rerum vbertate ac varietate refertæ, vt cuiuſcunque conditionis homines aliquid ex eis capere vtilitatis queant: vt nemo excuſationem prætendat, ni fructum aliquem ex earum lectione perceperit. Nam, qui erudiri cupiunt, inſtitutiones; qui errant redargutiones; qui pie & innocenter viuere volunt, monitiones; qui proficere contendunt, correctiones; qui moleſtijs præmuntur, ſuaues in quemcunque locum inciderint, conſolationes inuenient. Quæ vtilitates, quæ commoda deberent vehementer omnes mortales ad diuinarum ſcripturarum indefeſſam lectionem vehementer prouocare: cum nemo ſit, cui ſæpius in dies, in horas, & in momenta, vnum vel alterum, vel etiam omnia hæc auxilia, non ſint neceſſaria. Eſt itaque hæc doctrina & actiuæ, & domeſticæ, & contemplatrici vitæ maxime accommodata, ideoque omnium aliarum artium ſcientiarumq, perfectiones ſimplici

plici quadam ac perfecta ratione, in se continet. Atque de primo, quod proposueram, hactenus: nunc pauca de altero. Longum omnino facerem, si quid singulis hominum statibus ex hac doctrina cognoscendum sit, quod sane huius loci non est, particulatim exponere vellem. Dicam igitur vniuerse: maiores Ecclesiæ prælati & pastores, quorum est oues pascere, lectulum Salomonis ambire & propter nocturnos timores custodire, debent esse fortissimi, & ad bella gerenda aptissimi, & gladio, quod est verbum Dei, accincti, atque, vt Paulus ait, ad docendum idonei, &, vt diuus Petrus scribit, parati reddere rationem de ea, quæ in ipsis est, spe & fide. Qui tales sunt futuri, qui his muneribus fungi debent, non sint de numero eorum, qui, vt Gregorius Nazianzenus ait, vno die sapientes euadunt, & Theologi electione creantur; quibus solum, velle, sufficit, vt docti fiant. Alij vero, qui ad curam animarum tanquam operarij vocantur, tantum in hac christiana philosophia debent esse versati, vt inter lepram & lepram discernere, spiritales morbos curare, populum instruere, & ne prauis opinionibus inficiatur operã dare, queant: quæ munera, quantum doctrinæ requirant, qui hoc onus suscipere volunt, ipsi viderint. Illud ego dixerim, grauiora peccata esse permulta, varijs circunstantijs circumsepta & impiicata; multos casus, quos vocant conscietię in vna confessione posse occurrere, ex quibus, vel vnum, etiã viro doctissimo, & in hac arte exercitato

1. Tim. 3.

2. Pet. 3.

Orat. de statu episcop.

exercitato ſæpiſſime explicare eſſet perdifficile, Baſilien. & quoddã Concilium in eo, qui maiorẽ animarum curam ſit ſuſcepturus, tantum Theologiæ requirere, vt in ea ſit licentiatus. Et ſane, ſi ad ciuilem adminiſtrationem, vbi ſolum de rebus fortunæ, & ad medicam artem exercendam, vbi tantum de corporis valetudine agitur, non admittuntur, niſi qui aliquot annos ſuæ arti operam dederunt, & in aliqua vniuerſitate fuerunt approbati; cur ad tractandas cauſas, in quibus de æternis bonis, & de animæ ſalute agitur, qui ſępenumero vix legere norunt, aut qui tantum quattuor conſcientię caſus didicerunt, eliguntur? & quod ſępe vſu uenit, non ſine meliorum iniuria? Equidem ſæpe obſeruaui viros doctos, & pios nihil magis fugere, aut ſaltem timere, quam confeſſiones audire; quippe qui norunt, quantum ſcientię, quantum prudentię, quantumque virium, ars artium animarum cura, requirat, onus inquam illud etiam angelicis humeris formidandum: quam ſententiam, a ſacra Seſſ.6. cap.1. Synodo Tridentina & a diuo Bernardo vſurpatam, libenter repeto, vt legentium animis tenacius inhęreat. Neque, quod quidam dicere ſolent, eos qui ad hanc artem exercendam, etiam ignorantes, accedunt, ipſo vſu fieri aliquando idoneos, vnquam approbare potui; cum male agendo, vt ij agunt, qui ignoranter agunt, peruerſe agendi facultas acquiratur. Et cum hæc ars ſit difficillima, ac propterea multa ſcientia & longa exercitatione egeat, qua nam, bone Deus,

ratione eos tractabunt isti animarum medici, qui primum in eorum manus inciderint? ea, vt puto, qua, is medicus tractaret ægrotum, qui Galenũ, aut Auicennam vidisset nunquam. Quare cũ boni doctoris, vt Sixtus tertius scriptum reliquit, sit spiritalium morborũ causas præuidere, explorare, cognoscere, perdocere, & ex quibus occasionibus oriantur animaduertere, & tum demum, cognitis omnibus atque compertis, cœlestis curæ adhibere medicinam, hanc diligentiam, qui spiritalis medicinæ artem accurate non didicerit, poterit adhibere nemo. Hæc in eum finem a nobis disputantur, vt eos, qui difficillimum, dignissimũ, & in ecclesia Dei maxime necessariũ officiũ suscipere volunt, ad sacræ doctrinæ studia, eis omnino, aliqua parte, necessaria, animarum quas tractant, & suæ etiam periculo proposito, excitemus. De cæteris vero fidelibus, quantum in hac doctrina proficere debeant, vniuerse etiam dicemus, tantum ex ea eos cognoscere debere, quantum ad plene credendum, & pie viuendum, & ad suæ conditionis statum sine peccato retinendum, est necessarium. Quare, plura vel pauciora, explicatius, & minus explicate vnus, quam alius ex hac doctrina, siue propria industria, siue aliena institutione, percipere debet. Nemini tamen eam facultatem ad explicandas tractandasque diuinas scripturas damus, quam soli Ecclesiæ Pastores, & Doctores habent: sed dũ desideramus omnes fideles huic disciplinæ omnibus hominibus ad suam salutẽ

Epist. de malis docto.

datæ,aliquam, quantum cuique licet, operam dare, ita vt etiam aratores, vt cum Hieronymo loquar,diuina ad ſtiuam reſonarent,nec officia peruertere, nec ſanctum canibus dare,nec margaritas porcis proterendas proijcere volumus. Quiſque igitur fidelis, vel pios libros ex diuina doctrina collectos, vel ſacras literas prout ſibi fuerit conceſſum,legendo, hanc ſapientiam,quã omnes profitemur,& ex ea viuere debemus, diſcat, cum ſine eius cognitione nemo poſſit placere Deo: quod de vlla alia affirmare licet nemini.

Sacræ Theologiæ ſtudium nobilibus ac principibus hominibus digniſſimum eſſe demonſtratur.
Cap. X X.

CVM non pauci ſint, qui eam ob cauſam huic diſciplinæ operam dare nolle videntur, quod ſolum inferioris notæ homines, & quoſdam tantum religioſos, & ex ijs magis mendicos, paupertate potius pulſos,quam huius ſtudij præſtantia, & amore incitatos, in hanc vnam ab omnibhs fere deſertam ſcientiam, incumbere videant, quo fit, vt eam principibus ciuitatis non ita decoram putent: propterea, nunc paucis, hanc doctrinam poſſeſſionem nobilibus ac illuſtribus viris maxime dignam eſſe,demonſtrare conabor: ita vt, non minus hanc ſapientiam, quam legum & armorum diſciplinam,quas duas artes,qui nobiliores

haben-

habentur,& haberi volunt,libentius profiteri ſo lent, ſibi amplectendam putent. Qui ergo ſunt in aliquo ampliſſimo gradu in humana rep.con ſtituti,a diuinis ſcriptoribus, Dij, nominantur; Pſal. 81.
quod libertate, dignitate, poteſtateque Dei perſonam priuata quadam ratione referant,& quaſi Dij cęteris hominibus ad ipſorum vtilitatem, ſint præpoſiti. Quo fit, vt eos ea ſcientia maxime deceat, quæ in Deo reperitur, quæ de rebus eſt diuinis, quæ ad regendos homines potiſſimum eſt accommodata, & valde neceſſaria,quę denique eſt maxime libera, & aliarum domina ac regina. At quæ nam alia talis eſt,aut eſſe poteſt, niſi hæc vera ſapientia, quam nos prædicamus, & omnibus cognoſcendam proponimus? quam, ſicuti & regendi poteſtatem omnes principes a ſummo principe Deo priuatim accipere deberent: cum hæc ſola inter alias ſcientias, vt quæ eſt diuinæ ſapientiæ participatio quædam, dicere poſſit: Per me reges regnant, & legum Prou. 8.
conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant,& potentes decernunt iuſtitiam.Itaq; cum hęc doctrina,tanquam vera ſapientia, ſola inter ſcientias ſit libera, cum ſola ſit ſuijpſius gratia,non humana,ſed diuina poſſeſſio, & homine ingenuo ac libero, immo ipſomet Deo, qui ſolus plena libertate fruitur, & conſequenter etiam ijs,qui Dei perſonam referunt,vt prin cipes & pręlati omnes, digniſſima iudicãda erit: Ariſt.lib.
quibus Deus, cum ab inuidia longiſſime abſit, 1. Met. c.
paratus eſt liberaliſſime eam impertire,cum quã 2.

habent poteſtatem, pro dignitate exercere, & quam agunt perſonam ſine hac doctrina, recte eos ſuſtinere non poſſe ſciat. Hanc igitur ſcientiam, quæ in Deo eſt, quæ de rebus agit diuinis, diuini homines, libera, illuſtria ac diuina ingenia, ſibi ſequendam putent, atque indignum eſſe, ſe eam non quærere, quæ ſibi maxime conuenit, doctrinam, vt his fere uerbis Ariſtoteles docuit, pro certo habeat. Præterea, cum hæc facultas maxime omnium ingenia viuida, præclara, atq; diuina requirat: multarum præterea rerũ, ac omnium fere artiũ cognitionem, plurimum otij, librorum multitudinem, & ad vſum auctoritatem maximam, quod apertiſſime indicauit Chriſtus Dominus, cum de huius doctrinæ exercitatione hunc in modum apud Dauidem gloriabatur, Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, prædicans præceptum eius, efflagitet; qui nam debebunt in rep. Chriſtiana, quæ ſine hac ſapientia conſiſtere nequit, magis in eam operam, cogitationem, & ſtudia collocare, quam nobiles? quorum ingenia eſſe ſolent meliora, facultates ampliores, & otium maius, cum minus nobiles, vel ingenio, vel opibus, vel otio non ita abundent. Nobiles igitur & illuſtres viri nobilem ac illuſtrem ſcientiam colant, in ciuitate & rep. retineant, atque conſeruent: aut ſaltem, quod tamen raro fit, eius ſtudioſis faueant. Et qui nobiles non ſunt, ſi veram nanciſci nobilitatem volunt, quam ſecum vera ſolum affert ſapientia, hac ſe ſapientia ornent, ſcientiam re-

Lib. 1. met. c. 2.

Pſal. 2.

gno

gno & imperio dignam acquirant,& vere nobiles euadent. Atqui,hoc loco,nobiles & principes fortasse dicerent, hanc doctrinam non esse sibi ita ad populum regendum necessariam, vt legum notitia, nec ad regnum tuendum, vt disciplina militaris: quorum sententiam facile refelleres. Primum,adsciscant, si placet, vtranque artem, & ad suum munus recte gerendum vtrisque,quasi ancillis, vtantur: hanc vero tanquam sponsam & reginam, vna cum Salomone habeant. Deinde,non minus bene,resp.præsertim Christiana, hac cœlesti lege, regitur, quam armis,& humanis legibus,quod sapiens negaret nemo.Quo fit,vt recte Plato vir sapientissimus, scriptum reliquerit, tum demum fore beatas resp. si, aut docti & sapientes homines eas regere cępissent, aut qui regnarent omne suum studium in doctrina atque sapientia collocassent. Optimi fuerunt, aut saltem cæteris multo meliores illi principes, qui sapientiæ studia coluerunt: veluti Numa, Alexander Seuerus, Aurelianus,Gordianus Senior,& Antoninus philosophus, qui tanto philosophiæ amore tenebatur, vt ad Apollonium,discendi causam,sese conferret. De quo bono principe,illud memoriæ proditum est,ex malis hominibus bonos, & ex bonis optimos fecisse. Ad pacem in rep. conseruandam, ad ciues in officio continendos,nullæ humanæ leges, nulla principum decreta sufficiunt, sed sola religio, aut etiam religionis species: religio autem,sola sapientia,& diuinarum

Cic.lib.1. ad Q.Fra. Epist.1.

Lampr. Iul.cap.

rerum notitia in vrbem introducitur, & retinetur. Hac arte longius, quam alij populi suum imperium propagarunt, ac diutius conseruarũt Romani, quod religionem colerent, & rerum sacrarum disciplinam magni facerent: & ideo libros sybillinos, quod eos diuinitus datos fuisse existimarent, maxima in veneratione habuerũt: quos etiam in dubijs imperij temporibus, summa religione, consulebant. Numa Pompilius Romanum imperium vix a Romulo constitutum, sapientia pythagorea, qua erat præditus, & religione stabiliuit, atque ad illud conseruandum fundamenta iecit. Olim ijdem erant sacerdotes, philosophi, & reges, vt ex profanis, & diuinis cognoscitur historijs. Ex qua triplici dignitate sapientissimus ille Mercurius, ter maximus fuit appellatus. Deus eundem Moysen in omni sapientia Aegyptiorum eruditum in populi sui ducem, & suæ legis promulgatorem elegit: quamuis speciatim librorum sacrorum expositionem sacerdotibus commiserit. Et ne populi duces ab eius studio exclusisse putares, Iosue secundum Hebræorum ducem, spiritu sapientiæ repleuit. Huc faciunt, quæ initio orationis pro domo sua ad Pontifices, non minus sapienter, quam eleganter M. Tullius literis commendauit. Vbi inter multa a maioribus diuinitus instituta, nihil præclarius esse dixit, quam quod Pontifices & religionis deorum immortalium, & summæ reip. præesse voluerunt: vt amplissimi & clarissimi ciues remp. bene gerendo,

Flau. voscop. Bap. cãpo ful. lib. 1. c. 1.

Cicero lib. de diu.

Gen. 14.

Franc. Patr. lib. 3. de rep. tit. 9.

Act. 7.

Deut. vlt.

Cap. 20.

Pontifices religiones sapienter interpretando, remp. conseruarent. Ego ita existimo, si principes, si qui reip. gubernacula administrant, essent Christiana philosophia, & vera sapientia bene imbuti, ac fulti, maxima profecto haberent, ad regna & imperia conseruanda præsidia. Quoniam suos populos prudenter, iuste, pieque gubernarent, ac proinde nunquã eos haberent rebelles: religionem vnicum regni fulcimentum conseruarent: bonos pręmijs, & malos pœnis afficerent: consilio, auctoritate, ac maiestate florerent: omnium denique populorum amorem ac beneuolentiam sibi conciliarent: quę res ad regnum conseruandum, ac propagandum mirum in modum confert. Propterea Alexander ille magnus aliquando interrogatus, quænam haberet sui regni propugnacula, respondit, Amicos. Quare, ni fallor, si superioribus annis, ac hisce calamitosis temporibus multos habuissemus magnæ auctoritatis, potestatis, & integrę vitæ viros, qui, non solum armis, quæ parum va lere videmus, sed etiam scriptis, nouis hæreticis sese opposuissent, non tantum eorum pestis grassata fuisset, nec tandiu perseuerasset. Nam, si qui, exempli gratia, in Germania principes extitissent, vera sapientia bene eruditi, spiritalibus ar mis muniti, gladio verbi Dei accincti, vitæ candore illustres, populis maxime cari, ac denique catholicæ religionis amatores; quæ omnia in eum conueniunt, qui sit in christiana philosophia vere versatus, qui paterno quodam studio

librum aliquem de religione conſeruanda, de vera fide retinenda, ad ſuos populos ſcripſiſſent, quid, obſecro, non effeciſſent? quantum ad idem faciendum alios incitaſſent? cum principis vitę ratio, regula ſit ſubditorum? Si magis diuinarum, quam humanarum literarum ſtudia his elapſis annis Germania bonorum ingeniorum feraciſſima coluiſſet, plures religionis & communis pacis propugnatores, & pauciores, quam habet, vel nullos haberet oppugnatores. Propterea, nunquam pro dignitate inſtitutum feliciſſimæ memoriæ Gregorij XIII. religionis conſeruandæ, & amplificandæ ſtudioſiſſimi, commendari, ac laudari poterit, cum ad hæreſes extirpandas, ad hoc ſacrum ſacræ Theologiæ ſtudium dilatandum, & ad oppreſſam religionem ſubleuandam, varia Collegia, maxima diligentia, maximis impenſis, in Vrbe & extra Vrbem in vtilitatem, & commoditatem diuerſarum nationum, veluti Græcorum, Anglorum, & Germanorum erigenda curauerit, atque etiam doctiſſimorum & religioſiſſimorum Patrum Societatis IESV, qui hiſce temporibus vitæ exemplo, verbo, ſcriptis, & ſanguine etiam ipſo ſunt maximum religionis propugnaculum, ſtudia mirifice iuuerit, Academicisque Parthenijs, horum Patrum Alumnis, & diuinarum rerum ſtudioſis, ſæpenumero fauerit. Pium ſane, & ſanctum opus, dignum, quod omnium apud omnem poſteritatem commendetur, ac celebretur ſcriptis. Merito igitur regius propheta Dauid,

huius doctrinæ singularis amator & cultor, cum intelligeret hanc possessionem esse regia persona dignam; & ad imperia conseruanda maxime necessariam, diuino actus spiritu, omnes reges ad eam consequendam hisce verbis, hortatus est: Et nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Quorum verborum vim ipsis principibus & regibus perpendendam relinquo. Si ergo non esset hæc sapientia regibus digna, Salomon omnium mortalium sapiẽtissimus, homines ad eam hortaturus, orationem suam ad reges priuatim non conuertisset, nec dixisset: Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Si non esset regibus necessaria, non iterum repetiuisset: Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Si non esset vtilis ad regnum conseruandum non ita locutus esset: Si ergo delectamini sedibus & sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis: diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis. Si non esset maximum vrbis & orbis præsidium, non hæc adiecisset verba: Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: & rex sapiens stabilimentum populi. Si huius sapientiæ studium non esset principe dignum, nec ad regimen accommodatum, suam legem Moysi sui populi duci, non dedisset Deus, nec

Psal. 2.

Sap. 6.

Iof.1. Iofue dixiffet, Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: fed meditaberis in eo diebus ac noctibus: vt cuftodias & facias omnia, quæ fcripta funt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Si fua maieftate indignum, & ad rem gerendam hoc ftudium inutile Iudæorum
1.Mach. 12. fenatus iudicaffet, Spartiatis fcribens, non dixiffet, Nos cum nullo eorum indigeamus, habemus folatio fanctos libros, qui funt in manibus noftris. Et denique, fi res non ita haberet, vt dicimus, nunquam Salomon hunc in modum oraffet, nec reges & principes, vt eodem
Sap.9. modo orarent, docuiffet. Mitte illam de cœlis fanctis tuis, & a fede magnitudinis tuæ, vt mecum fit, mecum laboret, vt fciam quid acceptum fit apud te: fcit enim illa omnia, & intelligit; & deducet me in operibus meis fobrie, & cuftodiet me in fua potentia. Et erunt accepta opera mea, & difponam populum tuum iufte, & ero dignus fedium patris mei. Vtinam principes quotidie hanc ad Deum opt. max. orationem haberent, atque fummo ardore hanc fapientiam magis, quam argentum & aurum concupifcerent; intelligerentque neminem Deum diligere, nifi eum, qui cum fapientia habitat. Et ne hanc difputationem longius producam, de qua ampliffimum poffem texere fermonem, dicam breuiter, cum magis literarum ftudia, quam armorum tractatio hominem deceant, cum militaris exercitatio naturam fequatur corruptam, fitque ferocia hominibus cum beftijs

com-

communis, nobiles ac potentes viri bonas artes, veram ſapientiam colere deberent, ni uirtutibus ab ijs ſuperari volunt, quibus preæſſe gaudent. Si veſtibus, ſi equis, ſi auleis, ſi ſeruitio, ſi omni domeſtico cultu ſibi ſubiectos populos antecellere volunt, cur non etiam bonis literis, & ijs maxime, quæ principem perſonam decent? Et incongruum ſane eſt, vt leuiſſime dicam, pecuniam, tabulas, ſigna, cęlata vaſa, lapillos, veſtes, equos, famuloſque parare; ſapientiam vero pulcherrimã, & optimam vitæ, vt ita dicam, ſupellectilem non parare. Etenim, cętera non ſunt noſtra, ſed fortunæ bona, non in nobis, ſed extra nos poſita: quæ vſu conſumuntur: quę ſunt bonis, cum malis, & nobilibus, cum ignobilibus communia: quæ cui parentur ſæpe neſcitur: ſapientia vero ſemper permanet, in animo hęret, bonorum & vere nobilium hominum eſt propria, cum nobilitas ſine ſapientia & virtute, ſit veluti quædam inaurata ouis; & eam quiſque ſibi tanquam ſtabilem ac certam poſſeſſionem parat: quæ nec erripi, ne ſurripi poteſt vnquam: quæ nec naufragio, nec incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur: qua, qui præditi ſunt, ſoli ſunt nobiles, ſoli ſunt diuites: ſoli enim id, vnde natum eſt inter nobiles & ignobiles diſcrimen, & rem vere fructuoſam & præclaram poſſident. Ad huius rei acquiſitionem, ni fallor, quidam vir ſapiens, nos hortabatur, qui dicebat, eas eſſe parandas diuitias, quæ, fracta naui, nobiſcum enatent.

Cic. de amic.

Cic. para. vlt.

Ariſtippus.

enatent. Sed nesciunt mortales, nesciunt, quam magnum vectigal sit sapientia, & quantam nobilitatem secum afferat. Et, vt eo reuertamur, vnde digressi sumus, quid, quæso, faciet princeps, cum quæ ad regimen pertinent, vel per se, vel per suos ministros expediuerit negocia? Num se otio corrumpendum tradet? eritne in cubiculo cum muscis, an cum Musis? muscasne, vt Imperator ille prosequetur, an Musas? Principes qui bonas artes non colunt, qui virtutes non amant, ob licentiam & facultatem, quam habent, facile in grauissima labuntur vitia. Quo enim non se proripiet, & proijciet libido, proposita licentia, & facultate? Exemplo sunt Sardanapali, Nerones, Comodi, Heliogabali, Diocliciani, & horum alia similia generis humani monstra. Si itaque Princeps in studijs versari voluerit, eam potissimum amplexetur doctrinam, quæ est potenti & libero homine digna, quę ad rectam populorum gubernationem maxime confert, quæ religionem conseruat, quæ vtilitatem, voluptatem, honestatemque maximam secum affert; diuinam videlicet sapientiam, quæ eos maxime decet, qui in terris Dei personam referunt. Quod si qui sunt, qui non possunt ita ad hæc studia, ob negociorum multitudinem, aliasue rationes, adhærescere; saltem rerum diuinarum studiosis faueant, Theologicas scholas sustentent, vt diuinum cultum conseruent intactum; quo violato, nullum regnum, quamuis munitissimum, durabit diu.

Cicero.

Et

Et si medicos ad mensam adhibent, quos de cibis sumendis, valetudinis caussa, consulant; si iudices ad improbos castigandos, si causidicos ad lites extricandas, cur non etiam Theologos ad suos suorumq; mores corrigendos, & informandos, & ad suam suorumq; vitam bene christianeque instituendam? Sequantur igitur christiani principes Salomonis consilium, veram sibi comparent sapientiam, ignorantiam fugiat, qui aliorum sunt constituti iudices, ac duces. Timeant, ne Deus Deorum in eorum cœtu consistat, & eis vere dicat: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ, hoc est, vniuersus orbis vacillat, omnes humanæ vitæ rationes, humana & diuina omnia perturbantur, dum qui ignorant, regimina orbis administrant. Et nequid nouum principibus persuadere velle videar, singulare singularis Imperatoris exemplum breuiter eis ab oculos proponam. Theodosius ergo Romanorum Imperator, referente Nicephoro, curauit, ne imperialis aula, re vlla ab asceterio, hoc est a monasterio differret. Mane consurgens hymnos Deo cum sororibus alternatim canebat: cum episcopis & sacerdotibus habebat congressus: obscuros locos & nodos, haud aliter quam si ipse sacris initiatus esset, explicabat: cogendorum librorum studiosus fuit: lucernam sua sponte morientem, ac oleum infundentem habuit, ne fatigaret suos: scripsit manu sua libros multos: Aristotelis perplexio-

Psal. 81.

Lib. 14. c. 3.

plexionibus & inuolucris vale dicto, factis philosophiam exercuit. Habent ergo nostri principes, & religionis, & studiorum colendorum Christiani Imperatoris illustre, quod imitentur exemplum. Sed faciam huic loco finem, si prius eas ciuitates felicissimas esse dixero, quæ nunc sub optima Serenissimi Vrbinatū ducis FRANCISCI MARIÆ, huius nominis secundi, procuratione viuunt. Qui, cum non solum armorum tractatione delectetur, omnium artium libros maximis impensis vndique conquirat, bonos ac doctos viros, auitum morem retinendo, (semper enim Roboreia domus studiosos homines, vt benigna mater fouit, & aluit) amplectatur, humanioribus ac politioribus literis incumbat, sed etiam philosophica & diuina studia priuate colat, sibi subiectos populos, iuste, pacate, & religiose gubernat. Hic itaq; sapientissimus, ac religiosissimus Princeps ita suæ vitæ rationem instituit, vt temporis partem religioni, partem suorum regimini, partem bonarum literarum studijs, partem militari exercitationi tribuat: ita vt nemo ad eum veniat, quin honeste occupatum inueniat. Qua optima viuendi ratione, omnium doctissimorum hominum, & principum animos ad sui admirationem, & amorem allicit: & ad suas laudes prædicandas omnium scriptorum linguam, ac manus commouet. Hæc dum agit, & præsentibus præbet, & posteris optimi principis singulare relinquit exemplum. Sed de huius præcelsi Ducis laudi-

bus,

bus, alio oportuniore loco, fauente Deo, a nobis dicetur latius: quem Deus opt. max. mente & corpore incolumem nobis diu conseruet.

Viris ecclesiasticis rerum diuinarum ignorantiam fugiendam, & in humanis studijs non multum operæ ponendum esse, docetur. Cap. XXI.

HVNC sermonem de rerum diuinarum studio colendo in eum finem suscepimus, vt vniuersi Christi fideles ad Christianam philosophiã discendam excitaremus: sed quoniam proximo capite nominatim docuimus viros, nobiles, & in potestate constitutos hanc rerum cœlestium doctrinam decere; non erit ab re nunc aperire, quanta cura, quantoque studio homines sacris initiati, huic theosophiæ, priuata quadam ratione, operam dare debeant. Et quoniam omnia, quæ in hac tota lucubratione a nobis dicuntur, sacris personis speciatim dixisse volumus; ideo hoc loco solum quasdam canonicæ scripturæ sententias adscribam, quibus quantum Deo opt. max. sacerdotum ignorantia displiceat, palam demonstrabo, eosque a nimia aliorum studiorum tractatione reuocare conabor. Quod ergo ad primum attinet, hisce verbis Isaias eorũ, qui alijs pręsunt ignorantiam vehementer damnauit. Speculatores eius cęci omnes, & nesciuerunt vniuersi: canes muti non valentes latrare: Cap. 56.
viden-

videntes vana, dormientes,& amantes somnia: Et canes impudentissimi ipsi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt: vnusquisque ad auaritiam suam, a summo vsque ad

Cap.4. vltimum. Oseas hoc modo, Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui: obliuiscar filiorum tuorum & ego. Item, Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta. Ipsi autem sicut Adam trangressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me. Huc pertinet totum fere secundum Malachiæ caput; & pręcipue hic locus: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Sacerdotes faciunt pactum leui irritum, cum sanctitatem, quæ eos decet, non colunt, & Dei legem ignorant: quoniam ad Leuiticam tribum, cum ex ea sacerdotes crearentur, diuinæ scripturæ priuatim operam dare pertinebat. Et Dominus

Mat.15. aduersus ignorantes Scribas, & Pharisæos hanc grauem sententiam pronuntiauit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si

cœco

cœco ducatum præſtet, ambo in foueam cadũt. Vnde enatum eſt prouerbium illud: Sicut populus, ſic ſacerdos; ac ſi diceretur, nihil poteſt fieri calamitoſius, nihil inconuenientius excogitari, quam vt nihilo ſanctior, & doctior ſit ſacerdos, quam populus: quo fit, vt ambo in foueam cadant. His paucis ſcripturæ ſacræ ſententijs, aliquot alias ad hunc locum ſpectantes ex ſanctis patribus depromptas, adijciamus. Si in laicis, ait Leo, videtur intolerabilis ignorantia, quanto magis in ijs, qui præſunt, nec excuſatione eſt digna, nec venia? Si iuxta Apoſtolum Paulum, ſcribit Hieronymus, Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia; & qui neſcit ſcripturas, neſcit Dei virtutem, eiuſque ſapientiam; ſcripturarum ignorantia Chriſti eſt ignorantia. Qui ea, quæ Dei ſunt, inquit Gregorius, ſapiunt, a Domino ſapiuntur: & qui ea, quæ Dei ſunt, neſciunt, a Domino neſciuntur: Paulo atteſtante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur. Ignorantia, ait Concilium Toletanum, mater cunctorum errorum, maxime ſacerdotibus Dei, vitanda eſt, qui docendi officium in populo Dei ſuſceperunt. Hanc ob cauſam, quod pauciores ſit, qui ignorantiæ vitio non ſint infecti, Clemens Romanus epiſtola tertia ad Iacobum fratrum ſcriptum reliquit, Expedire Eccleſiæ Dei paucos habere ſacerdotes. Verum, vt idem ſanctus Pontifex ait, dum ignorant homines, quantum boni habeat ſcientia, ignorantiæ malum de ſe non patiuntur excludi: propter quod conſilium

Oſe.4.
Diſt.38.
In Iſa.
2. Cor.1.
1.Cor.14.
Clem. Rom.

do vnicuique, libenter præbere aurem verbo Dei. Et nos hanc ob causam hunc suscepimus laudandæ sapientiæ laborem, vt eius præstantia cognita, homines sacros priuate ad eam amandam inflammaremus. Denique, ne plures auctoritates huc congeram, meminerint perpetuo sacerdotes, eius, quod Symmachus Laurentio Mediolanensi episcopo, scripsit: Vilissimus cõputandus est, nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior. Ad hanc ignorantiam a sacerdotibus & viris ecclesiasticis removendam, sæpe, & œcumenica, & prouincialia concilia de magistris ad clericos, in diuinis præsertim literis, instituendos decreta saluberrima sanxerunt. Et synodus Tridentina, non sine diuino numine, nouam quandam rationem in eũdem finem inuenit, & vbique seruandam mandauit. Quam vtilem & reip. Christianæ necessariam constitutionem, si ij ad quos pertinet diligenter accurateque seruarent, maximos inde fructus omnes fideles caperent. Neque nunc est, cur aliqui se excusent, quod homines non habeant, quibus suos clericos instituendos tradant; cum idem Deus, qui constitutionem illam fieri voluit, curauerit etiam, vt aliqui reperirentur, qui huiusmodi curam libenter susciperent, idque profiterentur. Extant enim Congregationis Somaschæ docti & religiosi patres, qui inter alia pia, & Ecclesiæ maxime vtilia, quæ exercent opera, illud etiam arduum, & apprime laudabile onus priuatim suscipiunt, vt Semina-

Symmach. 1. q. 1. Vilissimus.
Concil. Aquisg.
De magistris cap. quoniã. quia sup.
Trident. Ses. 5. c. 1. Ses. 23. cap. 18.

riorum Clericos bonis honestisque literis imbuant, & christiana pietate informent. Opus certe Deo opt.max.gratissimum,& quod ab omnibus laudetur, ac foueatur dignissimum: cum nihil sit, quod magis possit Ecclesiæ prodesse, quam si bonos habuerit ministros: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse,quam clericos: &, vt præclare Iustinus martyr scripsit, inter omnes conatus, quibus homines Deum demereri student, nullus est ei gratior, quam cum dant operam, vt seipsis meliores euadent, curentque vt & alij proficiant. Quare, vt ad propositum redeam, & hunc locum concludam, grauissimam Mitylenaei pœnam, socijs qui a se desciuerant, imposuerunt, ne liberos suos docerent literas, & artes liberales; omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes,in inscitia,& ignorantia artium liberalium vitam transigere. Sed quoniam omnes filij Adæ sumus,a quo inter alias,eam etiam pęnam contraximus, vt semper, cum aliquid minus placet,excusationes in promptu habeamus, breuiter hoc loco quorundam leues leuium hominum excusationes afferam, & refellam. Sunt igitur non nulli, qui cum iam sacerdotium sint adepti,aut facile se adipisci posse sperent, dicũt, satis esse quantulãcunque doctrinam,qua se suo satis officio facere posse putant: atque hunc in modum viam sibi ad maiores progressus præcludunt. Sed hi meminerint se esse sacerdotes, quorum labia debent custodire scientiam,& le-

8. q. 1. Qualis.
Lib.cõfu. dogmat. Arist.
Aelian. lib.7.
Malach.2

gem de ipſorum ore requirendam eſſe. Meminerint ſe eſſe mundi lucem, & lucernam ſuper candelabrum poſitam, quæ omnibus, qui domi ſunt, lumen præbere debet: at quo nam modo extincta, aut parum lucens lucerna omnes illuminare poterit? Meminerint ſe eſſe ſal terræ, & ſua ſapientia ſe aliorum inſipientiam ſalire debere: quod ſal, ſi ad hoc nō erit vtile, ad quid valet vltra, niſi vt conculcetur ab hominibus? Et hæc eſt vna ex præcipuis cauſis, cur quædam religioſorum nomina, quaſi per contemptum (pudet me rem planius explicare) non ſine maxima Dei iniuria, vſurpentur. Meminerint ſe ſe eſſe iudices terræ, atque quotidie ſibi cauſas maximas, perdifficiles, perplexas, in quibus de æterna animę ſalute igitur, extricandas & explicandas, & inter lepram, & lepram internoſcendum eſſe. Meminerint ad ſe pertinere, alios purgare, illuminare, atque perficere: alijs inquam viam commoſtrare & cœcos ducere. Meminerint ſe tanquam vigilantes canes ad latrandum contra improbos, contra hæreticos, contra dęmonem, & ad vulpeculas vineam deuaſtantes capiendas ſemper debere eſſe paratos. Meminerint ſe eſſe collocatos ad lectulum Salomonis contra timores nocturnos ſeruandum. Meminerint denique, ne plura ipſorum munera commemorem, ſe eſſe doctores, quorum lingua debet tumidos comprimere, iratos mitigare, pigros excitare, deſides ſuccendere, refugientes allicere, aſperis blandiri, & deſperatos conſolari:

Mat. 5.

Leuit. 24.

Iſa. 56.

Cant. 3.

Dionyſ. Pōt. epiſt. ad Vrban.

vt quia doctores dicuntur, viam salutis gradientibus ostendant. Nec memoria excidat, Deum impij sanguinem, ni eum a peccato reuocauerint, de ipsorum manibus requisiturũ esse. Alij deinde sunt, qui satis esse credunt, tantum, vel ex humanis literis, didicisse, vt, cum maiores dubitationes inciderint, scriptores consulere possis. Quorum sententiam optimus ille pastor, & bonorum pastorum optimum exemplar, & magister, in suo pastorali, quod vtinam omnes Ecclesiæ Pastores perpetuo ob oculos haberent, Gregorius inquam, his grauissimis verbis, grauiter refellit. Cum spiritale aliquid a subditis pastor requiritur, valde est ignominiosum, si tunc quærat discere, cum quæstionem debeat enodare. Quid si necessitas vrgeat? si statim sententia sit proferenda? Et quos consulet is, qui, quinam sint consulendi ignorat? Et si consuluerit, cum non sit in scriptoribus legendis versatus, quid consilij referet? Nihil ita conuenit, scripsit quidam, quod a beato Petro accepit, sacerdoti Dei, & dogmatibus erudito, quam paratum esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de spe, quæ in nobis est, & gratia. Cum ergo nulla ars, vt Gregorius scribit, doceri præsumatur, nisi prius intenta meditatione discatur; qua temeritate ab imperitis pastorale magisterium suscipitur, quando ars artium regimen est animarum? Inquiratur diligenter, ait sexta synodus, cum de Episcopo eligendo verba facit, si in promptu habeat legem scrutabiliter non transitorie,

Ezech. 3.

Liberat. ĩ suo Breuiar.

Dist. 38.

torie, tam sacros canones, & sanctum euangelium, quam diuini apostoli librum, & omnem diuinam scripturam. Quo etiam loco, de sententia Dionysij ait, substantiam summi sacerdotij, esse eloquia diuinitus tradita, idest veram diuinarum scripturarum disciplinam. Alij maturam ætatem, vel etiam dignitatem in qua sunt constituti, excusant. Verum, ad discendum quod opus est, Augustinus loquitur, nulla ætas mihi sera videri potest: quia & si senes magis decet docere, quam discere: tamen, magis volo discere, quam, quod doceam, ignorare. Nescire, ait Gregorius, ignorantia est, sed scire noluisse, superbia. Nullus episcopus, vt est apud Clementem, propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, a paruulis, vel minimis eruditis, si quid forte est vtilitatis, vel salutis, inquirere negligat. Qui enim nequiter viuit, & discere, atq; agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur: & potius infidelis, quam fidelis esse monstratur. Alij sunt, quos non pudet laborem & difficultatem excusare: sed ij se a Deo in paradiso delitiarum sacræ scripturæ constitutos fuisse meminerint, vt eum custodiant, & ibi laborent. Meminerint se esse conductos ad fodiendum in vinea, ad metendum in agro, & ad triturandum in area. Si quis eis triturantibus os alligaret, querelis replerent omnia, lites essent in promptu; & iure id quidem optimo. At, si voluerint cibum sumere, & non triturare, cur non timebunt, ne

Dionys. Concil. Colon. Dist. 30. Genes. 3. Grego. Naz. epist. ad Theod. 1. Cor. 9.

popul

populus,& Deus ipſe, cuius ſunt operarij de eis conqueratur? Sine labore non excutitur granum e ſpicis, & ideo ſine labore non poteritis voſipſos,& alios adipe frumenti diuinæ ſcripturæ ſatiare. Cedo,vtrum facilius putas,ſapientiamne diuinam aſſequi,an ad eccleſiaſticos gradus peruenire? Quam ſit facile hanc ſapientiam adipiſci,poſtea ſuo loco docebo: quam vero ſit difficile ad honores peruenire, ij norunt, qui ambitione; quæ eſt doli artifex, liuoris parens, vitiorum origo,criminis fomes, virtutum erugo, ſanctitatis tinea, peſtis occulta, ſubtile malum, & ſecretum virus, torquentur. Bern. Ambitioſus ergo multos annos, vt leuem quandam pennam per aerem volitantem comprehendat, inſudabit, & tu ad conſequendam veram ſapientiam, quę ſecum veros affert honores, non laborabis? Poſſem hic late vagari,ſed breuiter concludo: lata eſt ſententia: In ſudore vultus tui veſceris pane Gen. 3. tuo: ſi igitur pane ſcripturæ veſci uolumus, deſudare oportet. Alij deniq; ſunt, quorum magnus eſt numerus,qui, & ut labores ſtudiorum maiores ſubterfugiant,& ut facilius,ac citius ad honores perueniãt, Cęſarum leges,ac etiam ius Canonicum,quod tamen,uel nunquam uident, uel longe ſalutant, per tranſennam, audiunt: & uno,uel altero anno,his temporibus, quod alias uix ſeptennio,in utroque iure imberbes iuuenes doctores creantur, qui utrunque ingnorant. Magnificant iſti hoc ſuum ſtudium, quod leges, & iuriſperiti mundum gubernent: quod iuriſpru-

dentia sit rerum humanarum atque diuinarum scientia: atque etiam sæpissime illud inculcant, leges honores & opes parere. Sanctificant etiã, ut ita loquar, quod leges sint diuinitus datæ, quod sint sacris canonibus affines,& ad eos perdiscendos maxime necessariæ. Nolo hic contra istos leguleios longum habere sermonem:quan do optime noui,iuris uere peritos,longe prçstantius, diuinius,magisque colendum sacræ Theologiæ, quam humanarum legum studium, uere existimare: breuiter ergo istos sciolos urgebo. Quod igitur ad gubernationem attinet, primũ, non minus gubernat mundum religio, quæ hac sacra scientia continetur,& conseruatur, quam legum peritia: quod sapiens negabit nemo. Et hinc est,ut id obiter dixerim, quod Principes & iudices, cum difficiliores nodi inciderint explicandi,diuinarum rerum eruditos, & sacros homines libenter consulunt: & ut experientia docet,ij religiosi uiri bonos principes in manu habẽt, qui fuerint doctrina & pietate conspicui:& olim apud Ægyptios ijdem erant sacerdotes & iudices: & Christus Dominus suos apostolos, eorumq; successores constituit principes super omnem terram. Deinde,quæ nam scientia toti mundo hactenus imperauit, atque nunc etiam imperat, nisi rerum diuinarum sapientia? quæ mundum a falsa religione,a malis legibus, a deprauata & corrupta uiuẽdi ratione, ad uerũ Dei cultum,bonosq; mores colendos traduxit:quod non tam est mundum gubernare, quam innouare,

Aelian.

uare, & instaurare. Hæc Romani imperij monstra debellauit: hæc suam sedem in Vrbe, & in Vaticano posuit, vt toti orbi imperaret, & inde sacra vaticinia redderet: hæc nostris temporibus apud remotas, & penitus incognitas nationes Christianum imperium amplificauit: hæc populos nullis legibus obstrictos, nulla humanitate excultos, ex feris immanibus, & impijs, mites, mansuetos, & religiosos reddidit. In vna ciuitate, in vno oppido, ac etiam in vna villa, vel prælati, vel animarum curatores, vel sacerdotes plures ad omnes cuiusuis conditionis homines nobilissimo & maxime necessario gubernationis genere regendos, & iudicandos sunt constituti: & quod pene exciderat, plures concionatores, qui omnes docent, omnium animos tractant, & quoquo volunt impellunt: qui improbos a corrupta viuendi ratione reuocant, bonos ad maiores progressus incitant. Qui omnes, etiam huius mundi rectoribus, velint, nolint ipsi, imperant. Isti vero, qui dicunt se mundum gubernare, in quosdam tantum improbos homines, qui sua culpa, male agendo sese eis subiecerunt, ius dicunt: nec enim est lex posita iusto; 1.Tim.1.
cum ab amore, & spiritu diuino motus, legem seruet. Quæ igitur scientia dominatur mundo? quæ populos regit? quæ hominem ad veram religionem conuertit, & in eadem conseruat? an militaris ars? aut iuris humani prudentia? an vero ea sapientia, quæ dicere uere potest. Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in co- Eccl.24.
lumna

Ecci.24. lumna nubis. Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in flũctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti. Ego in omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui. Neque ego, rerum diuinarum ſcientiam eam artem vere appellari poſſe exiſtimarem, quæ de actionum formulis, de alluuionibus, paludibus, aquis arcendis, ripis muniendis, ſtillicidijs, & cloacis, de lenonibus, reis poſtulatis, abiegis, infamibus, ſeruis fugitiuis, & crimine ſtellionatus agit: eam inquam artem in qua, de edendo, ſatiſdãdo, de in ius vocando, de poſtulando, & ne plures inutiliter iſtius artis, nõ dicam diuinos, ſed omni ex parte humanos titulos percenſeam de inutilibus ſtipulationibus, agitur. Ecquid quæſo, habet Papinianus cum Matthæo? quid Caius cum Marco? quid Celſus cum Luca? quid Modeſtinus cum Ioanne? quid Vlpianus cum Iacobo? quid denique veſter Paulus cum noſtro? Materia itaque uobis ſubiecta, tota humana, terreſtis, & momentanea eſt: noſtra vero diuina, cœleſtis, & æterna. Cęterum illud vobis facile concederem, ueſtra eſſe vendibiliora, & vos velitis, nolitis noſtra eſſe vberiora, diuiniora, & cognitu digniora nobis concedatis oportet. Quod ſi veſtras leges tandem in Deum, veluti in primum omnium legum auctorem aliquo modo refertis, bene facitis, ſed male, vel non ita bene, quod humanarum legum notitiam, quam diuinarum pluris ducitis,

ducitis, aut ducendam putatis reiq; publicę magis necessariam esse censetis. Sed pudet me longius in hac valde dispari comparatione procędere: ne, si coactus desipere fortasse visus sum, nunc prudens insanire velle videar. Concludam igitur, ac illud vere dicam, me plures cognouisse legum doctores, quos valde pœnitebat in ea re suam collocasse operam, quæ parum habet veræ vtilitatis, parum iucunditatis, multum vero laboris, & curæ; cum non modo suas, sed etiam aliorum de rebus mundanis, & sępe friuolis & inanibus suscipiat curas, aliorum inquam lites, & contentiones: quæ sæpenumero non sine magno animę detrimēto tractatur: in quam pauci essent, qui operam suam collocarent, cum sit ars quædam satis implicata, incerta, dissipata, spinosa, atque insuauis, nisi lucrum & honores, fatendum enim est, qui eam tractant, propositos haberent: at lucrum turpe, sordidum, & honores vani. Noui etiam multos, qui in matura ætate resipiscentes, sed tarde, at melius est tarde, quam nunquam, ad eam artem, relictis legibus, se traduxerunt, quæ de anima lucranda, vt ita loquar, est. Et dum iunior Perusiæ sacram Theologiam profitebar, multi ex legum ciuilium professoribus me felicem appellabāt, quod hæc diuina, & vtilia, & maxime ad nos pertinentia tractarem studia. Neque hæc a nobis in eum finem disputantur, vt iurisprudentiam vlla ratione vituperare velimus, cuius cognitionem, aliqua ex parte, perfecto Theologo utilem esse Cap.9.
supra

ſupra docuimus, ſed vt quorundam imperitorum hominum refelleremus ſententiam; qui humanarum legum cognitionem, legis diuinæ ſtudio, aliquo pacto præferri poſſe & in ea potius uerſandum eſſe arbitrantur; atque eos, qui ſacram togam ſumere, & ad eccleſiaſticos gradus aſpirare volunt, ad ſacra ſtudia amplexanda incitaremus. Cupimus enim, vt cum ſacris decretis loquamur, ſacræ Theologiæ ſtudium ampliari, vt dilatato ſui tentorij loco, funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides catholica circun data muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat, aſcendentibus ex aduerſo. At hoc omiſſo loco, ad viros ſacros noſtra reuertatur oratio; atque cum Auguſtino dicat: Legite ergo fratres mei ſcripturam ſacram, legite eam, ne cęci ſitis & duces cœcorum. Legite ſacram ſcripturam, in qua quid tenendum, & quid fugiendum ſit, plene inuenietis. Legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane ſuauior, omni vino hilarior inuenitur. Et ideo, o fratres mei, quandiu in hac infirma & vana vita fuerimus, hanc ſapientiam diſcere & ſapere tota mente curemus. Quid enim homo ſine literis reputatur? quid enim eſt? nunquid non pecus vel hœdus? nunquid non bos vel aſinus? nunquid non equus vel mulus, in quibus non eſt intellectus? Sed, væ nobis, quia debemus eſſe exemplum correctionis, & ecce iam ſumus exemplum erroris. Vnde hoc, niſi quia cęci ſumus, & idiotæ, ignorantes legem, & eam legere faſtidimus,

Honor. tertius. Cap. ſup. Ne cleri. vel mon.

Ser. 38. ad fratres.

Pſal. 35.

& tamen

& tamen cathedram tenere, & animarum curam gerere quotidie procuramus? Quid ergo mirũ, si cadit sacerdos? quid mirum, si non subleuat delinquentes? quid mirum, si dux cæcorum est? Ecce legẽm domini conculcauit, despexit eam vt mortem. Sed quid dilexit? quid procurauit? quid toto affectu concupiuit? Vxorem, vel concubinam caute tenere, equos velut miles in stabulo possidere, canes pro venatione nutrire, accipitres custodire, & tamen velut equus & mulus, in quibus non est intellectus cupit honorari in cęnis, & ab hominibus vocari Rabbi. Eia igitur fratres mei, qui pastores rationalium ouiũ nuncupamini, festinate rapere, non sophismata paganorum, non carmina poetarum, non fallacias philosophorum, de quibus doctores & auditores reddituri sunt rationem; sed illam dulcissimam sapientiam sapientiarum, quæ hæreditas Dei, & filiorum eius cara possessio nuncupatur: quæ nos docet amare cœlestia, & terrena despicere.

Paucis philosophandum, & diuina adepta sapientia, ad humanam redeundum non esse, docetur. Cap. XXII.


HVMANAM philosophiam ad christianam sapientiam perdiscendam vtilem ac necessariam esse, nemo est qui inficias eat, aut ire possit: cum id omnes docti viri affirment, & ipsa experientia Clem. Alex. li. 1. Strom.

rientia

rientia doceat. Verum ijdem viri docti, & eadem experientia, volenti rerum diuinarum notitiam consequi paucis philosophandum, ac inutilibus libris reiectis, solum meliores in hoc breuis vitæ curriculo legendos esse, aperte demonstrant. Cum ergo non pauci sint, qui in vtroq; peccant, dum, vel nimis in humanas literas incumbunt, vel auctores omnino inutiles euoluunt; ideo quibusdam sacrarum literarum, ac sanctorum patrum vocibus, ab hac studendi ratione eos reuocare conabor. Qui igitur diuinam sapientiam sibi comparare uolunt, & nimium in humanis scientijs versantur, illorum similes mihi esse videntur, qui diuersorium, in quo se reficere possent, ingredi vellent, & tamen semper pro foribus starent, & nunquam ianuam inuenirent: ac etiam eorum, qui cuperent sitim extinguere, & circa siccos puteos ad hauriendam aquæ guttulam laborarent. Hos homines diuina sapientia, vt ad se veniant, hisce vocibus inuitat: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus, idest a fructibus, & vtilitatibus, voluptatibusq; meis, implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum. Ingrediamur igitur domum, quam sapientia sibi & nobis ædificauit, vt eius vbertate inebriemur: quoniam de torrente voluptatum suarum potum dabit nobis. Et quid, obsecro te fidelis, qui sapientiæ fontes gustari cupis, nunc tibi vis in via Ægypti, vt diutius bibas aquam turbidam? Et quid tibi

Paulin. Epist.36.

Ecci.34.

Psal.35.

Iere.2.

cum

cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Adeamus igitur fonté cœlestis aquæ, ut aliquando fiat in nobis fons aquæ viuæ saliétis in vitam æternam: & flumina de ventre nostro, ad alios irrigandos, fluant: ne quando de nobis dici possit: Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Relinquendæ sunt aliquando tenebræ Aegypti, & terra illa, quam turbulentæ humanarum scientiarum riuuli irrigant, & in illam terram cum filijs Israel, in luce eundum est, quæ pluuiam diuinitus expectat: in eam inquam regionem, quæ lacte & melle fluit. Non genibus flexis, & pleno ore, sed canum more huius deserti aquæ cito lambendæ sunt. Recedat aliquando nox, adueniat dies: versentur in luce, qui filij sunt lucis, quos esse in tenebris, nequaquam decet: reijciéda est aliquãdo ancilla & concubina, & amplexanda est sponsa, cuius facies est decora, oculi, sicut columbæ, genæ pulchræ, vox suauis, collum vt monile, vbera dulciora vino, manus plenæ hyacinthis, odor super omnia aromata, consuetudoq; sine amaritudine & tædio: hanc amicam, columbam, immaculatam, & perfectam nostram vocemus. Quæ est pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quis ergo mihi det, vt te sponsam meam solam foris inueniam, deosculer te, apprehendam te, & inducam in domum meam, seu potius in domum tuam, quam mihi ædificasti? Semper ne hordeaceum panem manducabimus? semper glandibus & siliquis

Ioan.4. Ioan.7. Eccle.10. Exo.10. Deut.11. Iudic.7. Rom.13. Cant.5. Sap.8. Cant.8. Ioan.9.

ſiliquis veſcemur? Semper allijs & cępis delectabimur? ſemper tanquam lunatici in turbulentis aquis noſipſos inuoluemus? Quæramus ergo panem, quo ij abundant, qui in domo ſapientiæ verſantur: adipe frumenti noſipſos ſatiemus: ad manna de cœlo datum properemus, & ad fontem aquæ viuæ anhelemus. Reperiuntur quidam, qui, & ſi ipſam ſapientiam ſibi iam deſponſarint, aut ad eius commercium iam acceſſerint, libenter tamen, & frequenter ad ancillam reuertuntur, & a muliere clamoſa & fucata ſe capi ſinunt, & quæ ſunt reginæ, cum concubina communicant: & ita magis philoſophiæ, quàm Theologiæ amatores eſſe videntur: quorum theologandi rationem breuiter hoc loco refellendam duxi. In primis, caueant iſti, ne dum renuunt aquas Siloë, hoc eſt aquas cum ſilentio fluentes, vt ſunt diuinæ ſcripturæ aquæ, e cœlo miſſæ, vel doctrina ipſius Meſſiæ, ſiue Chriſti, & aſſumunt magis Raſim filium Romeliæ, magiſtros videlicet humanos, qui ſuis varijs opinionibus nos fatigant, & inutilibus laboribus conficiunt, Deus adducat ſuper eos aquas fluminis fortes, ideſt varias moleſtias, ac pœnas, & eos in reprobum ſenſum tradat. Chriſtus cœcum illũ cuius oculos luto liniuerat, ad natatoriam Siloë, quod interpretatur, Miſſus, hoc eſt, ad ſeipſum; qui e cęlo ad noſtram cœcitatem curandam miſſus fuit, ire iuſſit: qui abijt, lauit, & venit uidẽs. Hunc, nos cœcitate affecti, cœcum ſequamur, & ad eum accedamus, qui noſtram cœcitatem re-

Iſa. 8.

Dion. Carth.

mouere,lucemque nobis præbere poteſt, qui ad Ioan.9.
aquas Siloë nos mittet: quibus,niſi nos laueri-
mus,nunquam ab innata cæcitate liberabimur.
Populus Hebræus ſemel exiuit de Aegypto, vn- Exod.12.
de iuſſu diuino argentea exportauit vaſa, & nun
quam eo reuerſus eſt: & quod ſecum portaue- Exod. 25.
rat argentum, id totum conflauit, & Deo obtu-
lit: & ij, quibus panis de cœlo datus,nauſeam
mouit, iuſtas luerunt pœnas. Inueniant ergo,
tāquam ſpiritales homines omnem ſaporem in
ſpiritali manna, non vnum tantum, vt carnales
faciunt. Pudeat eos acidas cępas e terra natas
expetere, & dulci manna, cœlo delapſo, nolle
perpetuo nutriri: & ſiliquas deſiderare, dum Luc.15.
panibus domi abundant. Pueri ſumus,& infan-
tes, non longe abeamus, nec diutius abſimus a
domo paterna. Aquæ viuæ non deſcendant ad
mare mortuum, ſed eo redeant, vnde defluxe-
runt: non vinum in aquam; ſed aqua in vinum
conuertatur: azimo vtamur pane, non fermen-
tato. Hæc ſit noſtra domus,hic noſter panis: &
ſi cui videretur durus,ac proinde ſibi,ob ſuam
culpam,abeundi daretur poteſtas,Chriſto huius
panis diſpenſatori dicat: Domine,ad quem ibi- Ioan.6.
mus? verba vitæ æternæ habes. Sed iam qui-
buſdam ſapientiſſimorum virorum dictis iſto-
rum aures pulſemus. Sacerdotes Dei, ait Hie- Diſt.37.
ronymus, omiſſis euangelijs & prophetis, vide-
mus comœdias legere, amatoria bucolicorum
verſuum verba cantare, tenere Virgilium in ma
nibus,& id,quod in pueris adeſt cauſa neceſſita-
N tis,

tis, crimen in se facere voluptatis. Idem, Nonne vobis videtur in vanitate sensus & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans cœlos leuat, & vltra profundum terrarum & abyssi quoddam inane demergitur, qui iambum feruet, qui tantam metrorum syluam in suo studiosius corde distinguit, & congerit. Item, siquando cogimur literarum sęcularium recordari, & aliqua ex his discere, quæ olim omisimus, non nostræ voluntatis, sed, vt ita dicam, grauissimæ necessitatis. Origenes, per cyniphes & ranas, quibus Aegyptij sunt percussi, vanam dialecticorum garrulitatem, & sophistica argumenta intelligit. Huc facit Aristonis philosophi præclara sententia, qua affirmabat eos, qui Dialecticæ studijs nimium incumbunt, esse edentibus cancros similes, qui propter exiguum alimentum circa crustas plurimum occupantur. Humana philosophia est diuinæ sapientiæ ancilla, ac propterea cum ea non est diutius commorandum, si ad dominæ amplexus peruenire, cupimus. Philosophandum itaq; est paucis, vt Neoptolemus apud Ennium ait. Quo loco facere non possum, quodam christiano studio commotus, quin ingenuos & optimos spei adolescentes ad honestas artes capescendas idoneos, & ad bonos mores, pietatemq; colendam natos, moneam, & eos præsertim, qui priuate Dei beneficio, in eius sortem vocati, clerici nominantur, ne nimium temporis & operæ in humanis

Exod. 9.

Cic. lib. 2. de orat.

Hieron. epist. ad Nepot.

manis literis perdiſcendis, in ſuperfluo orationis cultu acquirendo, & in poetis euoluendis, ponant: cum eis latiſſimus philoſophiæ campus aliquando percurrendus, ac in ampliſſimo & immenſo ſacræ doctrinæ regno, quaſi in propria poſſeſſione & hęreditate, commorandum ſit; quo qui, non properant, qui non perueniunt, quam ſuſceperunt perſonam, eam non ſatis honeſte ſuſtinere queunt. Ecquid, quæſo, tanto eſt opus orationis cultu, tantoque fuco, tot tantisq; floſculis ac pigmentis? quæ nec ipſe eloquentię romanæ perfector M. Tullius ab eis, qui in grauioribus & magis neceſſarijs ſtudijs verſari debent, requireret: quibus ſatis eſſet, tantum in lingua latina profeciſſe, vt quos legunt auctores intelligere, & ita emendate ſcribere, vt, ni cum magna laude, ſaltem citra grauem culpam animi ſui ſenſa latino ſermone exprimere, ac etiã, ſi quando caſus incideret, oratione numeris cõſtricta, aliquid honeſte canere poſſent. Quam facultatem vno, vel altero anno, diligẽs ac ſtudioſus adoleſcens, ſibi compararet. Adde etiam, quod poſſumus quotidie legendo, obſeruando, & ſcribendo noſtrum ſermonem cultiorem, candidioremque reddere. Periculoſe quiſque, aiebat quidam Pater, eſt delicatus, cum ad Monachos epiſtolam de elegantia ſermonis a Monaſterio tollenda, ſcribebat. Et vt nos ſupra ſcripſimus, nemo vnquam veram perfectamque aſſequetur eloquentiam, niſi rerum cognitionem, vnde omnis emanat verborum, & ſententiarum copia,

Hidelb. epiſt. 63.
Cap. 9.
Horat.
Cic.

copia, fuerit adeptus. Vbi ergo aliqua dicẽdi præcepta, & aliquos constituendæ ac conformandæ orationis canones didicerint, ad aliã eloquentiæ partem comparandam, hoc est, ad ipsam sapientiam, se conferant, ni rabulæ, & clamatores, & sophistæ, quod nomen semper odiosum fuit, videri volunt. Debent autem honesti ac pudici adolescentes quorundam præsertim poetarum lectionem omnino fugere, ne dum linguæ puritatem, sermonis candorem, ac orationis integritatem sibi comparare volunt, animum inficiant, maculent, ac corrumpant. Nam, si, vt quidam
1.Cor.15. Poeta dixit, quod Paulus comprobauit, corrumpunt bonos mores colloquia praua, cur non etiam corruptorum scriptorum repetita lectio, & euolutio? Feruet in adolescentibus natura, ideo non sunt addendi ignes: facile labuntur adolescentes, ideo non sunt quærenda loca lubrica: natura nostra prona est in malum ab ado-
Gen.8. lescentia sua, ideo non est inflectenda: humani cordis terra ex se spinas & tribulos gignit, & ideo non sunt vitiata superserenda semina. Et quæso, quid vobis qui futuri estis Dei ministri,
Mat. 12. qui doctrinam, quæ omnem turpitudinem dãnat, & otiosi etiam verbi rationem reposcit, profiteri debetis, diutius in fictionibus, cantilenis, & nugis, a lutulentis, cœnosis, impurisque poetis scriptis, versatos fuisse prodesse poterit? Quid vtilitatis, inde haurietis, si fictorum Deorum genealogias, numerum, nomina, formas, habitus, tempora, ætates, coniugia, & cognationes cognoueritis?

ueritis? Quid emolumenti inde capietis, si omnes Iouis, vel Bacchi appellationes, omnes Herculis labores, omnes omnibus locis, vt fontibus, fluminibus, arboribus, & cloacis præpositos Deos, & singulorum locorum singulos, veluti Carduam, Ianum, Ferculum, Limentinum, quos stulta gentium superstitio foribus affixit; omnia inquã Musarum munera, omnia Nympharum discrimina, & omnes istorum Dæmonum, ne dicam deorum ferinas, & belluinas in varias feras & belluas metamorphoses, memoria tenueritis? Dæmones vocaui, quia, vt uere diuinus uates cecinit, & definiuit, Dij gentium, dæmonia. Quid igitur animos ad imaginem Dei innouatos, ad res tam abiectas, tamque contemptas cognoscendas, ij abijciunt, qui ad res uere diuinas contemplandas erigere deberent? Neque enim ullam diuinitatis umbram in ijs dijs agnosceres, qui non sunt cœlestes, sed scelesti: non immortales, sed mortales: non æterni, sed temporanei: non æqui, sed iniqui: non optimi, sed pessimi: non omnipotentes, sed impotentissimi: non denique hominum fabricatores, sed ab hominibus, facti, ficti, fusi, conflati, dolati, & fabricati. Quid quæso uoluptatis & iucũditatis christianus capiet animus, dũ istorum Deorum, quos isti Poetæ canunt, & celebrãt, fraudes, furta, mendacia, odia, rixas, crudelitates, libidines, stupra, adulteria, & omnis generis scelera teterrima leget? Immo quid fastidij, & indignationis non percipiet? Ad istam sordidam lectio-

Tert. lib. de idololat.

Psal. 95.

nem non nauſeabit animus? non mouebitur ſtomachus? ad tantam hominum impietatem, pius non perhorreſcet lector? ac etiam lacrymas non fundet? cum viderit illud impollutum, ac ſacroſanctum Diuinitatis nomen ad iſtas ſpurcitias ſignificandas impie fuiſſe deflexum. O inanitatem, ne dicam ſtultitiam admirandam! eorum adoleſcentum, qui his paſcuntur cibis, & iſta tam cœnoſa & lutulenta ſeſe inficiunt doctrina. Neque hic mihi argutulus adoleſcens dicat, Poetarũ de Dijs gentium fabulas, vtilitatem aliquam afferre poſſe, ſi myſticam earum intelligentiam perceperis, ſi arcana penetraueris, ſi mythologias intellexeris; quia iſtum, cum doctis & ſanctis viris, tanquam ridiculum, exploderem, vel Athenienſium & Romanorum legibus relegarem, aut ei cicutam propinarem. Antiqui patres iſtas fabulas, & deos iſtos dãnarunt, vituperarunt, contempſerunt: immo philoſophi etiam irriſerunt, vt fecit ille, qui cum lignis indigeret, ad Herculem ligneum cum ſecuri acceſſit, eumque hunc in modum allocutus eſt: Age Hercules, decimum tertium laborem ſubiturus adeſto, obſonium nobis cocturus: quẽ in ſcandulas diſſecuit. Dij quondam nationum, ait Hieronymus, cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt. Quæ ergo uiri ſapientes, & ſancti flocci putarunt facienda, nos ſtudioſe, & hilariter legemus? memoriæ mandabimus? accuratius explicabimus? & carminibus canemus? & cum quibuſdam ineptiſſimis

Epiphan. in Ancorato.

Epiſt. ad Florent.

mis

mis hominibus ſolum profana carmine idonee
tractari poſſe exiſtimabimus?. O mentes homi-
num ſtultas! O cæca pectora! Tantum ergo
incautus adoleſcens ſibi ſumet, tantumque ſibi
arrogabit, vt ſperet ſe poſſe picem tangere, & ab Ecci. 15.
ea non inquinari? nec timebit, ne quem teſta
noua odorem contraxerit, eum retineat diu? Horat.
nec verebitur, dum ſuam hoc lectionis genere
mentem inficit, ne ad veram ſapientiam perdi- Sap. 1.
ſcendam, quæ animum candidum, atque incor-
ruptum requirit, ſe minus idoneum reddat? Me-
minerint ij, qui futuri ſunt Dei miniſtri eius,
quod olim antiquæ legis ſacerdotibus, in qui-
bus non requirebatur tanta caſtimonia, & puri-
tas, dictum fuit: Mundamini, qui fertis vaſa Iſa. 52.
Domini: vos autem non ſolum vaſa ferre debe-
tis, ſed etiam vaſa mundiſſima, & purgatiſſima,
in quibus Deus habitaturus eſt, futuri eſtis: quo-
rum nó ſolum manus, ſed etiam totum corpus,
& tota mens ab omni impura cogitatione debet
eſſe immunis. Neque ego hac munditia eos or-
natos eſſe facile crederem, qui immundos con-
trectant ſcriptores, & commaculatas euoluunt
paginas. Sed non eſt hic locus hac de re ſcriben-
di latius: cum præſertim capite ſequenti, de inu
tili, & parum honeſta librorum tractatione, pla-
nius ſcripturi ſimus. Solent interdum eo ſe præ-
textu adoleſcentes tueri, quod ideo Poetas mi-
nus puros legant, vt pedum & carminum varie-
tatem perdiſcant. Sed, quid, obſecro, ei, qui vir
ſacer eſt futurus, neceſſe eſt, vt omnium pedum

diuersitatem, & omnium carminum genera, & omnium lyricorum, & iambicorũ formas percalleat? Nunquid melius incedet, & securius ambulabit in via Domini, is qui anapęstos, tribrachos,epitritos,diiambos, ditrochęos, proceleusmaticos,bacchios,antibachios, & deniq;,ne omnes viginti octo pedum varietates recenseã, molossos,in promptu habuerit? Nunquid religiosius Deo canet, si hexametro, pentametro, asclepiadeo,phaleucio,saphico, adonico, glyconico,iambico,lyricoq; siue monocola,siue dicola,siue tetrastopha forma cecinerit? Nunquid melius suæ vitæ metietur rationes, si monometra, dimetra, trimetra, & tetrametra nouerit discernere? Hæc leuia sunt, minus necessaria sunt,ac propterea,vel intacta relinquenda, vel lẽuiter attingenda ab ijs,quibus sacrę literæ,sacra concilia,sacri canones, sancti patres, sacri theologi, ecclesiasticæ historiæ,ac casuum conscientiæ summæ legendæ restant: vt tandem aliquando ad eam eruditionem,quę est bono clerico necessaria, perueniant. Adde etiam, quod istam versuum diuersitatem ab honestis & christianis poetis repetere possunt,ita ut nihil eis sit necesse legere fœtidos, & cœnosos Catullos, Tibullos, Propertios,& Martiales. Et vt illud etiam obiter monendi causa dixerim, pauci sunt hodie, vel nulli, qui Poetarum cantilenis delectentur, aut si sunt, non sunt Mœcenates, qui honoribus illustrẽt,aut Seueri,qui singula cermina inaurẽt. Ego multos noui, quos in re poetica nimium

Sozom. in hist. trip. lib. 1.

studij

ſtudij poſuiſſe tędebat: cum re vera, nec ad pietatem iuuet, nec honores tribuat, nec pecunias pariat. Ad ſacra igitur ſtudia properent, ad ſacros, & non ad cabalinos fontes anhelent, qui ſacram ſumpſerunt togam, qui ſacram profitentur vitam, qui aliorum uolunt eſſe lux, & duces. Qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, Exo. 19.
ne percutiat eos: manus & pedes ſuas in labro 30.
æneo ſacrę ſcripturę lauent, cum acceſſuri ſint ad tabernaculum & altare, ne forte moriantur: Leu. 21.
non contaminēt ſe iſta mortua mortuorum hominum lectione. Recedite, recedite, exite inde, Iaſ. 52.
pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini. Ex quibus 2. Cor. 6.
intelligi licet, an recte faciant, qui clericorum inſtituendorum curam ſuſceperunt, dum illud ſolum curant, vt profanas diſcant literas; quas eis per totam vitam pro quotidiano pane, eſſe volunt. Quam inſtituendi rationem diuus Hieronymus, ni fallor, non approbaret; qui clericum Ad Nepot.
inſtituens dicebat: Diuinas ſcripturas ſæpius lege, immo de manibus tuis nunquam ſacra deponatur lectio: & nos, qui non modo clericorum, ſed etiam Chriſtianorum omnium ſit quotidianus panis, ſupra docuimus, iugis nimirum per Cap.
totam vitam legis diuinæ meditatio. Qui clerici ſunt, aliquando presbyteri fieri debent; qui non ab ætate, ſed a ſapientia & doctrina hoc nomen ſortiti ſunt, vt quidam maximus Pontifex Anacl.
nobis ſcriptum reliquit. Finis ergo, qui eſt omnium humanarum actionum regula, ad quem epiſt. 2.

eccle-

ecclesiasticæ scholæ sunt institutæ, spectandus est: qui, ni fallor, est, vt Ecclesia bonos, ac idoneos habeat ministros: & illis disciplinis, & quantum satis est, clerici imbuantur, quibus facile & expedite, quo eis perueniendum est, perueniant. Id, si fieret redditus ecclesiastici frustra non impenderentur, adolescentes tempus, & ætatem inutiliter non tererent: magistrorum labores non essent vani: ministrorum curæ non essent frustratoriæ: & denique Ecclesia suo non priuaretur fructu, & nihil in re maximi momenti peccaretur. Sed iam modum adhibeat huic digressioni oratio, in qua longius, quam voluissem, iuuandi studium me protraxit. Et vt ij, qui humanis artibus plus iusto delectantur, & præsertim eloquentia, cuius flore & picta facie deliniti, sæpe a diuinorum librorum lectione retrahuntur, resipiscant, diui Hieronymi exemplum eis proponam, quod ipsemet aliquando literis cõmendauit. Scribit ergo post lacrymas Plautum sumere sę solitum fuisse: & si quando in se reuersus prophetas legebat, sermo horrebat incultus. Et diuinitus monitus, quod magis Ciceronianus, quam Christianus esset, ac cędi iussus, obtestans, dicere cępit: Domine, si vnquam habuero codices seculares, si legero, te negaui. Et affirmát, hanc visionem non fuisse soporem, aut vana insomnia. Hic lectorem moneo, ut hunc locum consulat. Si quis ergo ex Mesopotamia idola tulerit, abscondat illa sub stramenta cameli, & sedeat desuper: scrutantiq; omne tentorium

Epist. ad Eust. de virg.

Gen. 31.

torium

torium non aſſurgat, eiq; dicat, Ne iraſcaris: quia iuxta conſuetudinem fęminarum nunc accidit mihi: vt ſic quærētis deludatur ſolicitudo. Quo fit, vt non omni ex parte placeant ij, qui, cum diuina tractant, nimium rebus ea profanis referciunt, aut etiam, vbi non poſſunt, nec debent, humanis auctoritatibus comprobare nituntur. Quibus profecto timendum eſt illud, Væ, væ qui deſcendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis ſperantes & habentes fiduciam in quadrigis, quia multæ ſunt. Aegyptus homo & nō Deus: equi eorū caro, & nō ſpiritus. Cuidam prophetæ, quem ad cōcionandū Deus mittebat, dixit: Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Is igitur, qui mulierem captiuam in vxorem ducere voluerit, ni contra mandatum diuinum agere vult, eius cæſariem abradat, & vngues reſecet: atque cum illo omnium credentium patre Abrahamo Sarræ, Agar æmulanti, quod in maiore ipſa exiſtimatione eſſet, dicat, Ecce ancilla in manibus tuis, vtere ea, vt libet. Quaſi diceret, vt perbelle Alexandrinus Clemens expoſuit, ſæcularem quidem amplector doctrinam, ſed vt iuniorem, & ſeruam: Quod ſi fieret, & ſacra Theologia, & qui eam tractant, ſuam retinerent dignitatem: nec, vt vſu ſæpe venit, apud multos male audirent: & eam, quam ſecum voluptatem, & ſuauitatem, hæc cœleſtis diſciplina affert, proculdubio ſentirent. Verum, meminerint iſti, filios Iſrael non guſtaſſe manna, nec Angelorum panem mandu-

Iſa. 32.
Ezech. 4. Legē Greg. in hunc locum.
Hieron. epiſt. ad Mag. ora.
Deut. 21.
Gen. 16.
Lib. 3. Stro.
Exod. 16.

manducasse, quousque ægyptium panem consumpserunt.

Quæ detrimenta ex librorum inutilium lectione capiantur. Cap. XXIII.


VNC, quoniam omnia fere quę in hoc nostro opusculo a nobis dicuntur, eo potissimum referuntur, vt Christi fideles a librorum inutiliũ, lectione reuocemus, ne id, quod in hoc breuis vitæ curriculo habetur otij, inutiliter cõteratur; satis nobis erit, si in hoc proposito capite, pauca quædam detrimenta, quæ ex isto inani studio
Mat.12. capiuntur, breuiter attigerimus. Principio igitur, si nobis de vno verbo otioso, veritas ipsa dicit, ratio reddenda est, quid putandum erit de longa & vana librorum inutilium lectione, ex qua, quod, vel ad nostram, vel proximi vtilitatem, vel Dei gloriam referri possit, nihil discitur? Reddenda igitur nobis aliquando erit istius vanæ operæ exacta ratio. Videant, vt id monendi gratia dixerim, qui tantum lectione odarum Francisci Petrarchæ delectantur, quibus profecto doctas & aureas eiusdem docti viri de vtraque fortuna sententias legere magis expediret, quid in prima ode, versiculo postremo sapienter scriptum reliquerit: Quidquid homini placet, est breue somnium; & hoc sapientissimo versiculo bene percepto, nolint longius in ea lectione progredi, aut sæpius versari, in qua inanes

nes sonis, quos ipse iuuenili furore correptus, fudit, exaudiuntur. Sed nolo hic quicquam seuerius dicere. Sapientius Phœnix illa Mirandulana se gessit; quæ, vbi ab humanis & minus vtilibus studijs, in iuuenili adhuc ætate recessit, & ad diuina se toto animi conatu contulit, quæ de rebus vanis latino & hetrusco sermone canẽdo luserat, religionis ergo, ignibus tradidit. Quid deinde, si huiusmodi sit lectio, cuiusmodi fere semper istorum librorum esse solet, ut ad aliquam impuram cogitationem, vel appetitionem excitet? ut est poetarum, impudicarum nouellarum, & spurcorum scriptorum euolutio: qua bene multi animi relaxandi gratia delectantur: qui dum animi aberrationem quærunt, potius errorem & corruptelam inueniunt. Natura nostra satis per se incensa est, non sunt quærenda fomenta, non est excitandus ignis: non egemus lectione, quę sensus titillet, ad cuius pruritum, illabatur voluptas. Ideo, ait Isidorus, prohibetur Christianis legere figmenta poetarum; quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim thura solum offerendo, dœmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiẽdo. Dęmonum cibus, vt alius scripsit pater, est, carmina poetarum, sęcularis sapientiæ vanitas, rhetoricorum pompa verborum: hæc sua omnes vanitate delectant; & dum aures uerbis dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & peccatoris interna deuincunt.

Fran. Pic. in eius vita.

Dist. 37.

cunt. Sed est hic in promptu excusatio quędã: post grauiora studia animus est relaxandus, aliquis liber facilior, & lectu delectabilior legendus. Fateor, studiosis necessariam esse aliquam animi relaxationem: sed tamen eiusmodi esse debet, quæ animum non frangat, non offendat: quæ & si aliunde peti possit; placet tamen, ut magis ab ijsdem studijs petatur, ut inde sumantur remedia, unde facta sunt uulnera: non secus ac ij faciunt; qui a scorpione læsi, ab eiusdem scorpionis oleo medicamẽtum petunt. Verum, libri sumantur honesti & utiles, qui etiam necessario erunt delectabiles: sumantur honestæ & vtiles Æsopi, & eius similium fabellæ, honestæ & utiles legãtur historię, dicta & apophtegmata sapientissimorum hominum, eorundem legantur exempla: & denique, eiusmodi sit lectio, quæ mentem reficiat, & non inficiat. Affert postea secum istorum librorum euolutio illud sæpenumero detrimentum, quod si qui in nobis incensus est bene agendi igniculus, ista frigida lectione facile extinguitur, aut certe comprimitur. Quantos, inquit Bernardus, mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem uoluerat uehementer Dominus incendi? Item, Sapientia mundi terrena, animalis, diabolica est, inimica salutis, suffocatrix uitæ, mater tepiditatis eius, quæ solet Deo uomitum prouocare. Id, si de mundi sapientia uir sanctissimus, & ob sanctitatem diuinitus edoctus, affirmauit, quid de mundi stul-

titia

titia & insipientia, immo de mundi spurcitia dixisset? Ad hæc, illud etiam detrimenti ex istorum librorum lectione capitur, quod mens necessario in vanas cogitationes dissipatur: quæ cum ad meliora studia redimus, sese nobis offerunt, ante oculos, non sine magna nostra molestia, obuersantur, & tanquam muscæ morientes vnguenti suauitatem perdunt. Nihil sanius, ait Seraphicus doctor, quam vt constringantur cogitationes, ne vagentur in malum: & ideo oportet mentem assuescere circa rem aliquam, cuius cogitatio non sit mala; & hæc, vt idem ait, est diuina scriptura: in qua, tanquam in quodam delitioso paradiso, custodiendo, & operando humana cogitatio versari debet. Tandem, ut alia multa detrimenta silentio inuoluam, id damni inanium librorum tractatio necessario affert, quod dum in illis occupamur, eo nos priuamus fructu, quem bonos auctores legendo, perciperemus: & ita temporis iacturam facimus, quam vlla vnquam diligentia cõpensabit nemo. Multi sunt qui conquerantur, quod parum nobis in hac vita detur ad studia colenda temporis, cum aliam eius partem somnus, aliam cibus, aliam vacatio, aliam denique incurrentes casus sibi vendicent: sed fortasse nobis sufficeret, vt quidam doctus & disertus vir scriptum reliquit, si quod datur otij vtiliter transigeretur, nec infructuose, vt fit, contereretur. Quando igitur, vt hæc de nimio humanarum artium studio resecando, ac inutilibus libris abijciendis suscepta

Eccle. 10.

Campanus.

conclu-

concludatur diſputatio, eam ſapientiam, quam Deus ſe perditurum dixit, quam ſtultam fecit,
Ioan.5. reijciemus, & ad eam ſcripturam cognoſcendam nos trademus, in qua putamus eſſe vitam, ad quam ſcrutãdam nos Dominus hortatus eſt; vt aliquando omñi ex parte impleatur vaticiniũ
Iſa.11. illud: Quoniam repleta eſt terra ſcientia domini, ſicut aquæ maris operientes. Quando Aegypti tenebras diſcutiemus? quando eiuſdem regionis turbulentas aquas relinquemus? quando allia, & cępas deſpiciemus? quando ancillas ablegabimus, & dominam amplectemur? quando in terram promiſſam ingrediemur? Optarem
Pſal.18. itaque, o Domine, aliquando videre cœlos tuos, cœleſtes videlicet, & ſacros viros, opera digitorum tuorum, a te nimirum formatos, edoctos, & tua ſapientia excultos, qui gloriam tuã enarrarent, qui veram ſcientiam eructarent, ita ut eorum ſermones ad omnes permanarent nationes: & ſplendor, & calor omnes in partes ſeſe diffunderet. Optarem, vt parum honeſtæ comediæ, quarum maximus eſt numerus, qui quotidie magis magiſque augetur, & impuri poe-
Theod.de cur.Gręc. aff.lib.2. tæ a ſchola Chriſtiana reijcerentur, ne noſtra reſp. hac in parte, minus videretur perfecta, quam platonica, quæ hoc genus ſcriptorum, non ſine ratione eiecit. Optarem, o Domine, vt ſaluberrimum illud decretum, quod non ſine
Seſſ.5. cap.1. tuo diuino numine ſacra Tridentina Synodus, tuo ſpiritu legitime congregata, de tuæ ſcripturæ in omni prouincia, ciuitate, oppido, eccleſia,
gymnaſio,

gymnasio, capitulo, monasterio, ac cœnobio, expositione & interpretatione habenda, sancitũ, ab omnibus Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus alijsque superioribus omnibus diligenter accurateque obseruaretur, vt hæc honorifica, & cæterarum omnium maxime necessaria vbique locorum haberetur lectio; & vt ij ad quos pertinet, eos qui in hoc decreto exequẽdo negligentes sunt, opportunis remedijs, vt sacra Synodus præcipit, compellerent; ita vt e clericorum, & monachorum manibus nunquam sacer poneretur codex. Et cur illa tempora (te alloquor, qui Christi patrimonio vestiris, nutriris, & omnibus ad vitam, & ad studia necessarijs commodis sustentaris) quibus ab ecclesia vacas, sacræ lectioni non impendas? Cur Christum nõ reuisas? Christum alloquaris? Christum audias? quem alloqueris, cũ oras, & audis cum eius scripturam legis. Optarem denique, vt in ecclesijs benediceretur Domino de fontibus Israël; & vt qui in studijs versantur, essent in librorũ lectione & electione prudentes. Qui autẽ liber nobis eligendus, legendus, & vsu terendus sit, vt diuinis verbis hoc concludamus caput, hæc sacræ scripturæ, memoriæ mandanda, ac sæpe repetenda luculenta docet auctoritas. Hic liber Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Conuertere Iacob, & apprehende eam: ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius. Ne tradas alteri glo-

Ambr. de offic.

Psal. 67.

Baruch. 4

riam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Beati ſumus Iſrael; quia quæ Deo placent manifeſta ſunt nobis. Si igitur in tenebris verſamur, ſi mortem tantopre refugimus, ſi vitã perpetuam exoptamus, ſi beate viuendi cupiditate omnes incenſi ſumus, conuertamur, & hunc vnicum librum, omnibus inutilibus & minus vtilibus reiectis, apprehendamus, eligamus & perlegamus, vt in libro æternæ vitæ ſcribi, & ſempiterno æuo perfrùi mereamur.

Afferuntur nonnullæ ſanctorum patrum ſententiæ, quibus diuinarum rerum ſtudium maxime commendatur. Cap. XXIIII.



VLTIS, variſque locis, ſacræ doctrinæ vtilitatem, neceſſitatem, dignitatemque demonſtrando, Chriſti fideles ad rerum diuinarum cognitionem inflammare hactenus conati ſumus. Et quanuis omnia fere, quæ diximus, ex ſanctorum ſcriptis, & ex diuinis oraculis, ex quibus totam noſtram orationem cõtexere nitimur ſumpta fuerint: tamen, duobus ſequentibus capitibus, ijſdem prorſus vocibus lectorum aures perſonabimus, quibus ad hoc idem ſuadendum, diuinus ſpiritus, & viri docti ac ſancti vſi fuerunt: vt tandem aliquando tot tantarumque ſententiarum momentis, quod peroptamus, quod contendimus, id obtineamus, vt ſcilicet chriſtiana philoſophia magis, quam hactenus fecit, in ſchola

la Christi floreat. Hæ autem quas afferam sententiæ, partim dignitatem, partim naturam ac vim, partim vtilitatem & necessitatem, partim hæc omnia simul demonstrabunt. Nec tamen omnia omnium patrum dicta, scripturarumque loca omnia in medinm afferam; sed non nulla, quæ illustriora visa fuerint, ea ob legentium oculos proponam. Quidquid, de scriptura loquens, ait Augustinus, homo extra didicerit, si noxium est, hic damnatur; si vtile est, hic inuenitur: & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam alibi inuenire potuit. Nota scripturarum vtilitatem, & amplitudinem. Sicut stellas cœli, scripsit Hieronymus, non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento sacræ scripturæ, non obscurat mundana nequitia. Euangelij præcepta, inquit Cyprianus, fratres dilectissimi, nihil aliud sunt, quam magisteria diuina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia regna perducunt. Omnem scientiam, atque doctrinam, auctor est Gregorius, sacra scriptura transcendit: vt taceam quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam inuitat, quod a terrenis desiderijs cor legentis reuocat, quod dictis obscurioribus fortes exercet, & paruulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, vt pa-

Aug.

De orat. dominic.

Greg. in mor.

uesci debeat: nec sic patet, vt vilescat: sed vsu fastidium tollit, & tanto plus diligitur, quanto plus meditatur. Vide dignitatem, vim, atq; naturam. In scripturis, auctore Chrysostomo, ignorans inuenit, quid discat: contumax, quid timeat, laborans pręmia: pusillanimis, mediocris iustitiæ cibos, qui & si pinguem non faciunt, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi est, inuenit ibi spiritales escas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam: qui vero est vulneratus a diabolo, inuenit ibi cibos medicinales & salutem per pœnitentiam. Considera, vt est omnibus accommodata ac fructuosa. Intuemini, scribit Cassiodorus, sodales egregij, quam mirabilis, quam dulcis sit labor diuinarum scripturarum: desiderium ad cœlestia semper erigens: satietas sine fine: esuries gloriosa bonorum. Quid enim in illis literis suauitatis pariter & vtilitatis non inuenietis, si intendatis in eis purissimo lumine veritatis? Modo siquidem caritatem Dei, & proximi monet: modo vt sęculi peritura contemnas, insinuat: modo vt illam patriã recorderis, in qua es perpetuo mansurus, infundit; patientiam prædicat, spem tribuit, humilitatem proficuam laudat, superbiã semper minosam accusat: modo eleemosynas creberrime fieri persuadet: quot sunt ibi verba, tot præmia. Magnus ille Dionysius Areopagita epistola ad Titum, cum illum diuinæ scripturæ locum, in quo de mensa nobis a sapientia æterna apposita, tractaret, hæc inter alia, de

In Mat. c.22.

Lib. de sacre scrip. instit.

Dionys.

Prou.9.

de hoc cęlesti studio literis cõmendauit. Idcirco diuina ac spiritalia eloquia, & rori, & aquæ, & lacti, & vino, ac melli merito assimilantur, quod & viuificandi, atque fœcundãdi, veluti in aqua, & ad incrementum perducendi, vt in lacte, & recreandi, vt in vino, & purgandi simul atq; cõseruandi, veluti in melle, habeant vim. Hæc enim sapientia diuina, accedentibus ipsis pręstat affluentiam indeficientium dapum, inundantiã largiens, superemanans, atque supereffundens. Istud nempe vere epulari est, atque ideo viuificans simul, & paruulos nutriens & renouans, atque perficiens celebratur. Si hæc verba spiritalem legentis appetitum non excitauerint, vere eum stupiditate esse affectum, & omni sensu carere dicam. Quid enim aliud de eo diceres, qui vino, lacte, & melle proposito nihil gustare vellet? Dulcia igitur suauia, & alentia sunt rerum diuinarum studia. Summatim nunc referam luculentam Ruperti Abbatis sententiam, quam integram in suo loco, qui voluerit, leget. Hic igitur diligens diuinæ paginæ interpres, exponens mystice luctam Iacob, eam pulcherrime ad studium diuinæ scripturæ accommodauit: vbi inter alia, hæc scribit. Luctatur enim cum Deo, quandiu sacræ scripturæ studijs accinctus incũbit, sensumque uerbi Dei fugientem tenere contendit. Dulcis colluctatio, & omni pace iucundior. Grandis quidem spiritus commodo ille vicit; sed magno carnis suæ detrimento: quia is qui victus est, tetigit neruum fæmoris, &

Lib. 7. de Trin. c. 11

Gen. 19.

emarcuit. Claudicat, quia altero pede contemplationis aſcendit, & a terrenis curis ſeiungitur. Idem, eos qui ſcripturas legunt, dixit eſſe ueluti exploratores terræ ſanctæ. Terram ergo viuentium exploratum admittuntur, quicunque ſcripturas ſanctas in manibus habent. Quibus vere dici poteſt: Introduxit vos Dominus in terram fluente lacte & melle. Vbi etiam atq; etiã pios lectores meminiſſe velim, eos ſolummodo ex ijs, qui ex Ægypto egreſſi fuere ad illam promiſſam terram, æternæ vitæ ſymbolum, perueniſſe, qui eius exploratores fuerunt; eos inquã, qui in cœleſtem patriam animo ingredientes, eis, qui adhuc in deſerto verſantur, de fructu terræ illius afferunt, ac botrum humeris ſuis geſtant, alijsque conſpiciendum & guſtandum proponunt. Si ſapiens eſſe cupis, aiebat Heinricus de Haſſia, require ſcholas illius, qui dixit, Beatus homo, quem tu erudiueris Domine: in cuius ſcholis tibi proponetur ſacra ſcriptura: vbi diſces ea, quorum ſcientia tecum perſeuerabit in cœlo. Ibi ſtudebis qualiter ad ipſum peruenias, quem ſemel vidiſſe, eſt omnia didiciſſe. Huc facit etiam id, quod quidam alius, eadem de re, his verbis docuit. Si quis diuinas literas crebro, & cum fide lectitet, huic via ſalutis, in dies magis, magisque aperitur. Sed ne pluras doctiſſimorum hominum huc ſententias congeram cum multas ſparſim tota hac tractatione attulerim, cum Aaymone Alberſtatenſe epiſcopo, hoc caput concludam. Agimus, ait vir doctiſſimus,

Num.13.

Greg. Trapez.

In compen. hiſt. eccleſ.

ctiſſimus, gratias tantæ patrum diligentiæ,quorum circa ſacras ſcripturas tam frequentiſſima occupatio, & tam iugis ſolicitudo fuit, vt non ſolum ſcriberent libros,vel explanarent, ſed etiã ſcripta quorumlibet virorum illuſtrium diuinitus inſpirata multis laboribus, multis quoque expenſis in opus librariorum ſibi coaceruarent, ad profectum vniuerſalis eccleſiæ. Audiant huius temporis eccleſiaſticæ perſonæ,& rubore cõfundantur,qui a veſtigijs patrum tam impudenter & imprudenter receſſerunt; quod ſerui facti ſunt ancillarum, ambitionis & pecuniæ, cum poſſent facilius ſcripturas indagare, cum illorũ diligentia exemplaribus copioſius abundent. Pro pudor,nunc ad infima rerum & contemptibilia, ad ciuiles cauſas etiam conuertuntur. O quam vere noſtrorum temporum,in quibus tanta eſt librorum copia,ignauiam damnat, & indignam conditionem vituperat! cum multi repeperiantur, quorum eſſet ſacras paginas euoluere, qui potius profanas, ne dicam luſorias,dies noctesque volutant,& contrectant.Quis igitur tot grauiſſimorum ac ſanctiſſimorum hominum ſententijs monitus, ad rerum diuinarum notitiam acquirendam, omnibus humanis curis, & negocijs poſthabitis, non conuolet? Relinque igitur aliquando, o homo ad contemplationem natus,cum tua vita ſit contemplatio, Marthę ſolicitudines,perſonamque ſume Marię:ad ſacros Domini pedes ſede; diuina uerba auide auſculta, ab ore Magiſtri pende, ſtillantem ab eius la- Luc.10.

bijs rorem,tamquã importuna apicula, collige, & in aluearium cordis tui reconde; atque illud in primis,Porro vnum est necessarium. Et quid nam est hoc vnum, nisi ad hunc aquę viuę fontem stare? apud quem, qui commoratur, tan-
Psal.1. quam lętissima & felicissima arbor, semper virescit,optimos fructus producit,nullum folium amittit,& omnia prospere,feliciterque agit.Porro igitur vnum diuinæ sapientię studium, & æternarum rerum contemplatio sunt necessaria. Vnum non diuiditur, non distrahitur, non dissipatur: vnum semper permanet semper durat, & quidquid repetitur semper est vnum: in hoc vno, amice lector, insiste, ad hoc vnum immobiliter adhęresce:a quo, si discesseris in diuersas rapieris partes,nullibi certo pede consistes, hac illac diffiues,solicitus semper eris, & turbaberis
Eccl.24. erga plurima. Cum ergo nulla alia in re requiẽ inuenire queas,in hęreditate Domini, tu pręsertim, qui in hanc hęreditatem uocatus es, conquiesce: tu qui sacram profiteris vitam, hanc sacram arripe ancoram,ne te huius fluctuossimi maris agitent procellę. Si igitur hęc est pars optima, & vnica, hanc elige, & ita elige, vt nulla vnquam humana scientia, nulla mundana cura, nulla creata uis eam tibi e manibus extorquere queat. Quã ego,ni vererer Domino contradicere,non partem,sed totum appellarẽ. Est quidem pars in hac uita, in qua ex parte scimus; sed erit
1.Cor.13. totũ in alia, ubi quod ex parte est, euacuabitur. Eligamus ergo,& capiamus nunc hanc partẽ, vt ipso

ipſo toto, omni nimirũ bono, quod Deus ijs, qui in hac vita ipſum cognoſcũt, & colunt, ſe oſtenſurũ eſſe pollicitus eſt, aliquãdo potiri poſſimus. Exo.33.

Varijs ſacræ ſcripturæ ſententijs fideles ad rerum diuinarum ſtudia excitantur. Cap. XXV.

GRAVES ſane, & ad diuinarum rerum cognitionem lectores excitandos maxime idoneas, ex ſanctis patribus, proximo capite, attulimus ſententias. Sed quoniam multi reperiuntur, qui cum profundius dormiant, maioribus vocibus expergefaciendi ſunt; ideo ex diuinis oraculis grauiores quaſdam ſententias nunc afferam, ut, ni humana, ſaltem diuina uoce, quæ etiam mortuos poteſt ab inferis excitare, commoti, tandem aliquando expergiſcantur, & in vineam, quam Deus nobis locauit ad laborandum veniãt, & ad menſam ſibi paratam, ad quã a diuina ſapientia inuitantur, accedant, vt ſciendi famem cœleſtibus cibis expleant. Cum itaq; humanæ voces non ita in aures influant, animoſq; commoueant, atque diuinæ faciunt, æternam ſapientiam cauſam ſuam tractantem, atque precibus, monitionibus, pollicitationibus; & minis nobiſcum agentem, audiamus. Fili mi, Prou.2.
ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, ut audiat ſapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris

naueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: & quæ sequuntur. Item,
Cap.3. Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius auri, & argenti, primi, & purissimi fructus eius. Preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non ualent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria. Viæ eius, uiæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. Lignum uitæ est ijs, qui apprehendunt eam: & qui tenuerint eam, beati. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem meam, atque consilium meum: & erit uita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis: tunc ambulabis fiducialiter in uia tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus. Quem, obsecro, tam suaues & amantes admonitiones, tam magnæ promissiones, tamq; salubria consilia, non excitent, non commoueant, ad ueram sapientiam
Cap.4. permiscendam? Item, posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliuiscaris, ne declines a uerbis oris mei. Ne demittas eam, & custodiet te: dilige eam & seruabit te: arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Si circulator aliquis, in foro hæc pronuntiaret, si tot tantaque polliceretur commoda, qui ei fidem non haberet,

haberet,qui eius fucatas merces,aut incerta medicamenta non emeret, esset nemo. Sapientiæ uero diuinæ hæc promittenti, non credemus? aut si crediderimus, eius dictis non parebimus? ita dementes, ita stupidi erimus, ut rem unam in qua salutem, quietem, uitam & bona omnia contineri affirmat, nobis non acquiramus? O stulti & tardi corde ad credendum! quia si crederemus,vtique obediremus; sed ideo non obedimus,quia non credimus. Item, Fili mi attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam: vt custodias cogitationes,& disciplinam labia tua conseruent, Ne intenderis fallaciæ mulieris. Item, Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca animam tuam: vt custodiat te a muliere extranea; & ab aliena, quæ verba dulcia facit. Et quænam est ista extranea, nisi mundana sapientia a diuina diuulsa? quæ illecebris allicit; ornatu meritricio capit; & blanditijs paruulos, iuuenes, & vecordes detinet? garrula, vaga, impatiens quietis, stulta, clamosa, nihil omnino sciens; quæ per semitam vitæ non ambulat: quæ vocat transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Qui est paruulus, declinet ad me: & quis est, qui non sit sensu, & sapientia paruulus? Omnes igitur cum paruuli simus,ad sapientiam,quæ est mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei properemus. O paruulos, & vere paruulos, atque infantes eos, qui inutilium librorum lectione, & humanis scientijs ita se capi sinunt,

Luc.ult.

Cap.5.

Cap.7.

Prou.5.

Prou.9.

Ecci.24.

ſinunt, vt de diuina ſapientia omnium bonorum parente & fonte nihil cogent: & quæ in ſcholis humanis didicerunt ad ueram ſapientiam acquirendam, mulieris fucatæ fallacijs decepti, non
Prou.7. referunt. Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abſtrahatur in vijs illius mens tua: neque decipiaris ſemitis eius: multos enim vulneratos, deiecit, & fortiſſimi quiq; interfecti ſunt ab ea. Viæ inferni domus eius, penetrantes interiora mortis. Quæ omnia, & ſi de muliere meretrice, iuxta literam, intelliguntur: tamen, ſuo etiam modo, & ſano modo, de humana ſapientia, quæ ad diuinam non refertur, ſed potius ei ſeſe contrariam exhibet, explicari queunt. Nam, dum diuinus ſpiritus ueram ſapientiam laudat, & eius commoda proponit, & ad eam amplexãdam mirifica quadam ratione excitat, fucatam, & corruptam ſapientiam
Prou.8. fugiendam eſſe admonet. Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus, ſupra viam in medijs ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus dicens: O viri ad nos clamito, & vox mea ad filios hominum: Intelligite paruuli eſtutiam, & inſipientes animaduertite. Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam meam magis, quam aurum eligite. Melior eſt enim ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt cõparari. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & quę ſequuntur. O bonitatem! o clementiam ſapientiæ

tiæ diuinæ! quæ omni contentione, ex omni loco, omnes homines, non secus ac si eorum indigeret opera, ad se inuitat: & vt trahat, thesauros ingentes, opes maximas, honores supremos liberalissime eis pollicetur: & non est qui commoueatur? & non est qui audiat, nec qui a sapientia sapientissime incātāte se excantari sinat? Aut nos existimamus diuinam sapientiam posse nos decipere, sicuti extranea & aliena mulier potest, quod impium est cogitare, aut nos omnino insipientes sumus; cum tot saluberrimæ admonitiones, tot efficacissimæ hortationes, tot sapientissimæ incantationes, talis denique ac tantus omnium bonorum cumulus, nos commoueat nihil. Nunquid philosophorum incerta doctrina, Dialecticorum perplexa præcepta, Pöëtarum ineptiæ pene aniles, Comicorum impudicæ inuentiones, Romanzorum vana insomnia quicquam tale nobis proponunt? & tamen istorum scripta, iugiter, suauiter, beneuole, attenteque audimus, legimus, discimus, memoria retinemus, atque repetimus. Inueniuntur qui Petrarchæ odas, Ariosti cantica, Ouidij fabulas, Boccacij nouellas, & quorundam scriptorum impudica, impudice collecta dicteria memoriter recitent; sed qui diuinam scripturam, aut nemo, aut sanequam pauci. In singulis domibus, officinis, & cubiculis, istorum auctorum libri, obuij, expositi, & ad manum reperiuntur: & in ijs sæpe locis, in quibus solum sacri codices inueniri deberent, qui tamen nusquam apparent. Mul-

tos

tos enim reperies ex ijs, quorum eſt alios docere, qui ſacra biblia non habent, quos appoſite, milites ſine enſe eſſe diceres: aut ſi habent, in aliquo angulo puluere cooperta latent. Apud quos tamen, ſæpe libros voluptuarios, ad menſam, ad feneſtras, ad lectum, vſu quotidiano detritos, inuenires. Sed hos hic amanter obſecro, atque obteſtor, vt ad hæc ſapientiæ diuinæ verba aures aperiant: Et delitiæ meæ eſſe cum
Prou. 9. filijs hominum. At vero qui ſapientiæ diuinæ conſuetudinem vſumque fugiunt, quid nam dicerent? Id arbitror, delicias ſuas eſſe verſari cum Virgilio, cum Ouidio, cum Horatio, cum Propertio, cum Catullo, cum Martiali, cum Terentio, & alijs huius generis ſcriptoribus; quorum conſuetudo non facit hominem bonum, immortalem, & amicum Dei, vt vſus & commercium cum hac ſapientia, cuius nos encomia celebramus, & vtilitates oſtendimus. Sed iſtos cum iſtis ſuis delitijs miſſos faciamus, & noſtra redeat, vnde diſceſſit oratio: ac iterum ipſam ſapientiam loquētem introducamus. Nunc ergo
Prou. 8. filij, audite me: Beati qui cuſtodiunt uias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet ſalutem a Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuã: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Hic diligenter attendant, qui hanc doctrinam contemnunt,

temnunt, aut parui faciunt. Sapientia itaque ædificauit sibi domum, excidit columnas septẽ: immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam. Misit ancillas suas vt vocaret ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: siquis est paruulus, veniet ad me: & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: relinquite infantiã, & viuite & ambulate per vias prudentiæ. Item, Appropiate ad me indocti, congregate uos in domum disciplinæ: quid ad huc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt uehementer. Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum. Inijce pedem tuum in compedes illius, & ni torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta illã, & ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam & in omni virtute tua conserua vias eius. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & cõtinens factus ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi cõpedes eius in protectionẽ fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor.n. vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutis. Stola gloriȩ indues eam, & coronã gratulationis superpones tibi. Fili, si attenderis mihi, disces eã, & si accommodaueris animum tuum, sapiẽs eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium sta, &

Prou.9.

Ecci.51.

Ecci.6.

sapientiæ

ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant a te. Et ſi videris ſenſatum euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mādatis illius maxime aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. Et tandem, quis non exau-
Iſa.55. diat vocem illam? Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento & abſque vlla commutatione vinum & lac. Quod ſi tot hortationes, & pollicitationes nos non commouent, moueat ſaltem hæc terribilis,
Prou.1. ac horrifica comminatio. Quia vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit: Cum irruet repentina calamitas, & interitus quaſi tēpeſtas, ingruerit: quādo venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiā: mane conſurgent, & non inuenient me: eo quod exoſam habuerint diſciplinam & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint uniuerſę correctioni. Comedent igitur fructus uiæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur. Auerſio paruulorum interficit eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Qui autem me audiuerit, abſque terrore requieſcet; & abun
dantia

dantia perfruetur, timore malorum ſublato. Ne igitur nos in tam graues incidamus pœnas, ne diuinam ſapientiam aliquando nos irridentem, & deſpicientem videamus, ne auerſio a diuinis ſtudijs, & conuerſio ad inutiles ſcientias nos interficiat, ſalutares excipiamus admonitiones, vera amplectamur bona, dilatemus os noſtrum, & Deus ſua ſapientia implebit illud: eos, qui id nō Pſal.80.
facient, dimittet Deus ſecundum deſideria cordis eorū, ibunt in adinuentionibus ſuis: ac propterea infeliciter & calamitoſe viuent. Sapien- Sap.3.
tiam enim & diſciplinam qui abijcit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu & inutilia opera eorum. Potuerit ergo perennis ille, & humani generis capitaliſſimus hoſtis, Gen. 30.
ſub teterrimi ſerpentis forma, falſa ſcientiæ, pauciſſimis verbis comprehenſa perſuaſione, hominem omni ſcientiarum genere ornatum decipere, & ad tranſgrediendum Dei mandatum inducere; Deus vero eundem hominem omni vera ſcientia deſtitutum, ad veram ſapientiam æternis etiam mentibus dignam, tot monitionibus, tot hortationibus, tot pollicitationibus, tot præmijs, tot denique minis, comparandam, qua amiſſam nobilitatem, & ſalutem recuperare queat, non poterit perducere? Reuertere igitur aliquando in hunc cœleſtem paradiſum, quem Gen.2.
Deus tibi ad delitias capiendas plantauit, o Adę fili, te alloquor, qui lutulentis diſciplinis delectaris, qui fęces poëtarum contrectas, qui cœnoſas comœdias volutas, qui facetias reip. peſtes &

lues, aqua & igne dignissimas, perlegis; reuertere ad fluuium purum, pellucidum, altissimũ, qui paradisum irrigat: ibi te laua, ibi te munda, ibi te refice, ibi sciendi sitim exple: voluptas te allicit, vtilitas te excitat, necessitas te trahit, sancti te inuitant, Deus te vocat, natura te impellit,
Genes. 3. & adhuc retardas? Non adest hic Cherubim cum flammeo, atque versatili gladio, qui te impediat; sed Deus qui te ab exilio reuocat, & ad
Isa. 55. potãdũ inuitat. Omnes sitiẽtes venite ad aquas.

Multorum & grauissimorum virorum exemplis ad veram sapientiam acquirendam homines inuitantur. Cap. XXVI.



A studia libenter homines amplectuntur, aut saltem amplecti deberent, in quibus prudentes, honestos, atque ingenuos viros versatos fuisse norunt: cum ea potiora esse facile existimemus, quæ uiri sapientes approbant, & sequũtur. Hoc si spectare voluerimus, nulla profecto disciplina tot nobis illustria poterit proponere exempla, atque Christiana: quæ, si quis intueri uellet, cum exempla magna uim ad persuadendum habeant, omnia alia studia flocci facienda esse putaret, & hoc unum omni animi contentione, cæteris posthabitis, amplecteretur ac retineret studium: cum viri grauissimi, sapientissimi, sanctissimi, humanis relictis disciplinis, in hoc unum toto pectore incubuerint. Ex innumeris

meris autem quæ possem afferre exemplis, pauca quædam in medium proferam; quæ tamen eiusmodi erunt, vt qui hæc studia amplecti nolunt, quantum errent, ex illis facile intelligere queant. Et vt hinc exordium sumam, olim sophi, & philosophi solum illi appellati fuere, qui rerum maximarum cognitionem assequebãtur, qui rebus diuinis operam dabant: in quorum numero etiam antiqui reponuntur poetæ, qui speciatim, res diuinas versibus canebant: vt Pindarus, Orpheus, Hesiodus, Philemon, & alij permulti. Ijdem enim aliquando erant Philosophi, Poetæ, & Theologi. Quorum hominum auctoritas maxima, fama illustris olim fuit, atq; nunc etiam viget. Quanto autem studio, quantisque laboribus eam, quam dixi, rerum maximarum, atque diuinarum scientiam, etiam apud exteras longeque remotas nationes multi ex illis prosecuti fuerint, certissimæ testãtur historiæ. In quibus, Pythagoras, Plato, Democritus, & Apollonius, qui apud omnes nationes literas, quasi toto orbe fugientes insecutus est, quem, ex nostris, imitari voluit Sedulius, numerantur. Anaxagoras amore sapientiæ captus, omnibus suis bonis renunciauit, eaque partim suis ciuibus, partim domesticis donauit. Qui aliquando interrogatus, ad quid esset natus, respondit, vt cœlum spectem: ac si dixisset, vt diuina contempler. Democritus, non modo fortunæ, sed etiã præcipuo corporis bono, luminibus nimirũ, se, vt scribitur, priuauit, vt melius corpore cæcus,

Maxim. Tyrius.

Diod. Sicu. lib. 2. de gest. Aegy. Hier. ad Pauf. Cic. li. 5. de fin. Sabellic. lib. 2. c. 1.

animi oculis peruideret omnia. Tanto discendi ardore quidam Ethnici flagrarunt, vt etiam sacros Hebræorum libros, quos, tamen homines profanos, illi celare solebant, vt de Pythagora, & Platone narratur, viderint. Gordianus senior Romanorum Imperator, semper cum Platone, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, cæterisque veteribus, agebat. Quod si isti summa animi contentione, maximoque ardore vmbram quãdam veræ sapientiæ, in maxima sæpe magistrorum & librorum caritate, sibi comparare conati sunt, quanto magis nos veram sapiẽtiam, quam Deus, priuata erga nos beneficentia tradidit (nec enim fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ manifestauit eis) in maxima codicum & pręceptorum abundantia perdiscere deberemus? Sed externis omissis, ad domestica veniamus exempla. Huc pertinet, in primis, exemplum totius tribus Isachar, quæ, vt quidam scribunt Hebræi, studio diuinæ legis priuatim addicta fuit: ac proinde de ea dictum esse putant: Isachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandũ, factusque est tributis seruiens. Comparatur autem huic animali, non equo, vel mulo, vt Zoar ait, quia hoc animal non calcitrat contra dominum, nec est gloriosum, neque de strato curat: ac proinde, si cum Cabalistis loqui volimus, domini memorans, vel vir mercedis, vel merces ei, scilicet Deus est, has .n. significationes ex illa

Diodorus. Iulius capit. in eius vita. Psal. 127. Gen. 49. Franc. Geor.

voce colligeres, huius trib. princeps, Isachar, vocatus fuit. Memores ergo Dei sũt, & a Deo mercedem consequentur, qui eius sacrosancta scrutantur eloquia. Quantum Moyses omnium sapientium antiquissimus, & antiquissimorum sapientissimus, diuinarum rerum cognitione delectatus fuerit, vel ex eo perspici potest, quod supernaturalem legem a Deo acceperit, cum Deo familiarissime locutus fuerit, & primus legislatorum sit habitus. Dauid, & si in maximo populo regendo, & in grauissimis bellis conficiendis esset maxime occupatus: tamen, ita erat erga rerum diuinarum studium affectus, vt eum beatũ esse affirmauerit, qui in rebus diuinis tractandis dies noctesque versatur: ita huic sapientiæ operam dedit, vt dixerit: In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui: super senes intellexi: adhæsi testimonijs tuis Domine: & loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar: quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea est. Ita de hac doctrina sentiebat, vt diceret: Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua: Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis: & denique, ita erat erga diuinam legem animatus, vt eius perdiscendæ desiderium, eiusdemque intelligentiã a Deo studiose petiuerit: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: Reuela

Exod. 19. Eccl. 45. Psal. 1. Psal. 118. Psal. 118.

oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua. Quantum hanc doctrinam amauerit, quantique fecerit, & quibus laudibus dignam exiſtimauerit, pſalmo artificioſiſſimo, & bene longo, eleganter, copioſeque expoſuit: qui eſt centeſimus decimus octauus: cuius quot ſunt verſiculi, tot ſunt etiam legis diuinæ encomia. Refert Auguſtinus, ſe aliquando arborem pulcherrimã vidiſſe, habentem duos & viginti ramos: quorum ſinguli octo ramuſculos habebant, ex quibus guttæ dulciſſimæ rorabant. Et exponens, quæ nam ſit arbor iſta, ait eſſe pſalmum paulo ante citatum: in quo, iuxta literarum hebraicarum numerum, duo & viginti ſunt octonarij: quorum ſinguli octo habent verſiculos, & quiſque verſiculus, aliquam legis diuinę laudem, fructumque exponit. Dauidis filius Salomon

Sap. 6. 7. 8. & 9.

hanc ſapientiam a puero dilexit, & in ſponſam habere deſiderauit, hanc omnibus regnis prætulit, hanc ſummis precibus a Deo contendit, & obtinuit, hanc denique maximis laudibus celebrauit, & ad eam amplexandam omnes homines neruoſiſſime hortatus eſt. Eandem Ieſus Filius Sirach amauit, qui renouauit ſapientiam de corde ſuo, & omnibus alijs rebus præferendam eſſe docuit, vt ex varijs ſententijs ex eius libro ſupra citatis, & præſertim ex eius oratione, quæ eſt omnino legenda, ſatis aperte conſtat: qui dum adhuc iunior eſſet, & antequam aberraret, quæſiuit ſapientiam palam in oratione ſua. Ante tempus, ait, poſtulabam pro illa, & vſque in

Ecci. vlt.

Ecci. vlt.

nouiſſimis inquiram eam, & florebit tanquam præcox vua, & quæ ſequuntur. Ionathas ſummus ſacerdos, & ſeniores Iudæorum, quantum diuinis oraculis legendis delectarentur, epiſtola ad Spartiatas miſſa his verbis, manifeſte indicarunt. Nos enim, cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſacros libros, qui ſunt in manibus noſtris, & quæ ſequuntur. Eunuchus etiam ille Candacis Reginæ Aethiopum, de quo in Actis apoſtolorum ſcribitur, ita ſacrorum librorum lectione delectabatur, vt Ieroſolymam proficiſcens, ſecum diuinam ſcripturam ferret, & in itinere legeret: ideoque meruit, vt priuata Dei prouidentia ad perfectam fidei cognitionem perueniret, perfectamque iuſtitiam acquireret: ad quam ſeſe diſponunt, ac eam facilius conſequūtur, qui ſacros lectitant libros, qui eſt vnus ex maximis huius ſaluberrimi ſtudij fructibus, quem humanæ ſapientiæ lectio præbere minime poteſt. Nobiliores, qui erant Theſſalonicę, qui ſuſceperunt verbum, cum omni auiditate, quotidie ſcrutabantur ſcripturas. Timotheus, vt Paulus teſtatum reliquit, ab infantia ſacras literas didicit: quæ eum poterant inſtruere ad ſalutem. Origenes, vſq; a puero, non ſolum in humanis, ſed etiam in diuinis ſeſe occupabat ſtudijs, & multa a patre Leonide acute requirebat: libros profanos, cum ſumma laboraret inopia, vendidit, & quattuor obolos ab emptore ſingulis diebus accipiebat: indeſinenter meditationibus diuinorum librorum inhærebat: pa-

1. Mach. 12.

Act. 8.

Act. 17.

1. Tim. 3.

Euſeb. in hiſt. eccleſ.

rum somni capiebat, nullo vtebatur strato: non habebat duas tunicas: non cogitabat de crastino: per multos annos abstemius & nudipes vixit: ex cuius schola multi vtriusque sexus fluxere martyres: oportune, importune, per diem, per noctem, publice & priuate docebat: &, vt quidam scripsit, nunquam cibum sumpsit; sine lectione, nec iniuit somnum, nisi vnus ex fratribus sacris literis personaret: tot denique uolumina de rebus diuinis edidit, vt ea vix vnus homo per totam vitam legeret: sex millia nimirum librorum vt Epiphanius refert: & denique viginti & octo annos in scripturarum interpretatione versatus est. Basilius, cum prius mundana philosophia delectaretur, vbi spiritalis scientiæ dulcitudinē gustare cępit, illā contempsit, & hanc solā adamauit. Sunt qui referant eū panis, & vini vsum sibi interdixisse, donec mysteriorū intelligentiam, plenius perciperet. Sit etiam nobis exēplo Basilij in profanis sacrisque literis socius, Gregorius Nazianzenus, qui tantum in re theologica profecit, vt cognomento Theologus, meruerit appellari. Diuus Bernardinus, cum prius pontificio iuri operam dedisset, huius studij suauitate percepta, & humana studia, & mundum ipsum reliquit, religionemque ingressus est. Equitius Abbas scorteas manticas libris refertas, secum deferebat, ne vnquam, & vspiam deesset quod legeret: oneris vero molestiam, sacrę lectionis compensabat suauitas. Prętcrij, & quidem data opera, Clementes,

In Ancor.

Marc. Marul.

Irenæos,Tertullianos, Ambrosios, Augustinos, Hieronymos, Cyrillos, & alios huius ordinis sexcentos, qui quantum hoc studio sint delectati, quantum in eo desudauerint, quantumque profecerint,multitudine,pręstantiaq; librorum, quos posteritati tradiderunt, euidenter manifestarunt. Quid etiam memorem Alexandros, Bonauenturas, Albertos, Thomas, Hugones, Rupertos, Guilhelmos, Dionysios, Richardos, & innumerabiles alios, qui quãto ardore Theologiæ studia fuerint prosecuti,monumentis,multo studio,multisque vigilijs,elaboratis ad exemplum, & vtilitatem fidelium, Christianæ reip. reliquerunt. Non præteribo tamen singulare exemplum a diuo Gregorio relatum. Seruulus igitur quidam, mendicus & æger, & literarum ignarus ecclesiastica opuscula ex eleemosynis emerat, quæ,quoties lectorem nactus fuisset, ei legenda tradebat: qui, ita assiduitate audiendi eruditus euasit, vt alijs ea memoriter doceret, quæ ipse legere nesciebat. Huc etiam Didimi, & venerabilis Bedæ pertinet exemplum; qui & si essent oculis corporeis capti, tamen huic doctrinæ, quæ mentis oculos illuminat, ita operam dederunt,ut paucos huius doctrinæ studiosos, habuerint pares. Quid hic dicerent, qui maximos ecclesiæ redditus habent? qui multos lectores, & librarios, censibus, quos Christus suo sanguine promeruit, alere possent? qui naturæ donis, & bonis oculis vtuntur? Et tamen Christi doctrinam non attingnnt, ne a limine

Psal.18.

quidem

quidem ſalutant, ſed potius otio ignauiaq; lan-
Oreſ. Mona. gueſcũt. Sed iſti animaduertant, obſecro, hanc, cuiuſdam boni auctoris, ſententiam: Dei munera damno ſunt otioſis poſſeſſoribus: magnus fœnerator eſt hic Deus noſter: importune vſuras exigit, & durus creditor eſt. Quantum Deo ſacrorum librorum lectio grata ſit, miraculorũ teſtimonijs aliquando declaratum fuit: & e multis vnum, vel alterum referre ſatis erit. Cum
Marc. Marul. Eadmundum Cantuarienſem Epiſcopum ſacros codices legentem ſopor inuaſiſſet, candela, qua vtebatur ſuper paginas cecidit, quæ conſumpta eſt, ſacro codice manente intacto. De eodem etiam ſcribitur, quod cum inter legendum obdormiſſet, & a ſomno excitatus, ob ſublatam ſibi legẽdi facultatem, doleret, beatam Virginem inuocauit, & ſtatim lucerna illuxit. Si quis de me hic aliquod recens requirat exemplum, vnũ pro multis afferam, quod qui diligenter inſpiceret, facile ad hæc ſtudia ſequenda, ſi modo aliquid Chriſtianæ pietatis in eius pectore reſideret, inflammaretur. Et ſi igitur ab hinc aliquot annos improbi hæretici in Anglia ſacros Theologos proſequantur, eorum collegia euertant, & libros comburant: tamen, prouincia illa, quæ innumeros fere rerum diuinarum ſtudioſos & ſcriptores, & plures fortaſſe, quam vlla alia reip. Chriſtianæ extulit, his etiam temporibus, quibus malus homo in ea zizaniam ſuperſeminauit, innata ſoli bonitate, multos horum ſtudiorum cultores produxit. Siquidem, paruo temporis

poris ſpatio tercenti & amplius iuuenes Anglicani,nobili familia nati, primogeniti,relicta patria, caris parentibus, parentum & amicorum diſſuaſionibus cõtẽptis, nulla ſpe pręmij, immo cum certo ſuæ hæreditatis diſpendio, certaque expectatione ignominiæ, & periculi,etiam mortis, ad collegium Belgícum & Romanum conuolarunt, quibus in locis ſumma contentione ſacras literas didicerunt, & religionis amore incenſi,ad meſſem Anglicanam redierunt. Quid hic noſtrates dicerent, qui potius ſeſe humanis legibus dedunt? quo factum eſt, vt externi de nobis dicant, nos ſolum paragraphos ſcire: qui cum in ea regione nati ſimus, quæ bonorum ingeniorum fœcunditate, nulli vnquam prouinciæ ceſſit, eam meliorum ſtudiorum cultura ſuperari ſinimus. Nolo hic fœminarum, veluti Syluiæ, Furiæ, Probæ, Ceciliæ, Marcellæ, Demetriadis, Paulæ, quæ non modo latine, ſed etiam græce, & hebraice ſciuit, ſacraſque ſcripturas memoriter recitabat, & aliarum multarum exemplis, quoſdam delicatos, & delitijs emollitos homines vrgere. Illud tamen referam olim Chriſti fideles ſolitos fuiſſe in vnnm cœtum, quem collectam appellabant, ad pſallendum, vel audiendum verbum Dei cõuenire, mane, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio per ordinem, nec licebat ignorare pſalmos, & non de ſcripturis aliquid quotidie diſcere. Omitto etiam ſtudium ac diligentiam Beatiſſimæ ſemper Virginis in legendis, ac dili-

Hieron. in ſuis epiſt.

Hiſt. Tripart. li. 1. Hier. ad Euſtach.

gentet

genter perſcrutandis diuinis literis: in qua tantum doctrinæ,tantumque ſapientię fuiſſe exiſtimo, quãtum in nulla alia pura creatura fuit. Ecquis enim omnium creaturarum ratione vtentium, Mariam multo ſapientiſſimam fuiſſe non exiſtimet? cum fuerit Patris luminum filia,æternæ Sapientiæ Mater, & Spiritus ſancti ſponſa? quam omnium gratiarum genere tantus ſibi ornauit ſponſus. Si primis carnalibus parentibus a Deo formatis, omnes naturales & ſupernaturales animi dotes fuerunt tributæ, cur non etiam huic omnium fidelium ſpiritali matri?
Pſal.45. huic inquam tabernaculo, quod ſibi Deus ſanctificauit? Si angelis ſeruis, & hominibus peccatoribus ſcientiarum habitus diuinitus tributi fuerunt, cur non huic Angelorum & hominum Reginæ ab omni labe peccati alienæ? Cur non debuit omnia noſcere myſteria,ea per quam debebant impleri? Cur non debuit omnium creaturarũ uires atque naturas mente percipere,quę omnium rerum creatorem debuit mente & corpore concipere? Cur non fuerit omnium creaturarum doctiſſima, quæ ob optimam animi indolem & corporis habitum fuit maxime omnium ad diſcendum idonea? quæ pro magiſtro habuit filium ſuum totius ſapiẽtiæ fontem: quę
Luc. 2. eius verba conſeruabat, & conferebat in corde ſuo: quæ introducta fuit in cellam vinariam:
Cant.3. quæ optimam partem elegit: quæ una cum apoſtolis fuit Spiritu ſancto repleta: quæ denique Apoſtolorum magiſtra, & naſcentis Eccleſiæ

magiſtra

magiſtra fuit; vt merito de ea omnes hęreſes interemiſſe canat. Omnes itaque fideles huic omnium fideliũ Matri hanc laudem tribuant,quod ſit omnium creaturarum ratione utentium, ſapientiſſima, & omnium ſcientiarum genere ornatiſſima. Gaudeant hoc loco,ac glorientur in Domino Academici mei Parthenij, qui ſub tutela huius ſapientiſſimę Partheni, a qua hoc egregium, & illuſtre nomen acceperunt, veræ ſapientiæ operam nauant. Quo fit, vt non ſit mirum, ſi tanto tantæ Virginis præſidio fulti, ex ac Academia, tanquam ex equo Troiano, viri doctiſſimi,ad errores refellendos,& ad ueritates defendendas maxime idonei, quotidie prodeunt. Vt merito R. Pater Benedictus Palmius Societatis Ieſu, vir & doctrina, & religione conſpicuus, ſæpe Gregorio XIII. de hac Academia loquens, dixerit, Eccleſiam habere ſine vllis ſuis expenſis Seminarium feraciſſimum: Sed tamen, vt ego pro meis Academicis loquar,non ſine maxima cura ac diligentia, prædictæ ſocietatis,patrum. Pergite igitur, Academici ſtudioſiſſimi, ut hactenus feciſtis ſub horum religioſiſſimorum Patrum diſciplina,atque B. Virginis tutela in bonarum, ac ſacrarum literarum ſtudijs: vt qui optime noſtis quantum ex veſtris vigilijs & laboribus Eccleſia catholica, cui nati eſtis, & ex qua nati eſtis, vtilitatis capiat. Quo loco, ni ad huius opuſculi finem properarem, fuſius recenſerem, omnes Epiſcopos,omnes Doctores, omnes animarum curatotes, alioſq; bonos

nos ecclesiæ ministros, ac etiam eos,qui mundi vanitate spreta, ad religionē côuolarunt,& quotidie conuolant, quorum maximus est numerus: ex quibus,vt a quibusdam Patribus accepi, aliqui, primi extiterunt,qui in amplissimo Chinæ regno Christianæ religionis semina spargere cœperunt. Vestro etiam exemplo, non solum in Italia, sed etiam in Germania, Flandria, Gallia, Hispania, & in omnibus fere locis, vbi dictorum Patrum collegia extant, uariæ Congregationes, a vestra quasi enatæ propagines, institutæ sunt: de quarum gestis iam longa scribi posset historia. Vestrum itaque erit,ornatissimi iuuenes, vt quas vestris institutionious Congregationes informastis, eas veræ sapientiæ, & integræ uitæ exemplis, ut hactenus fecistis, perpetuo iuuetis, pijsque officijs, foueatis. Facile enim ad exemplum trahitur, vt quidam antiquus pater scripsit, quod Romæ viuitur. Id autem vobis facile factu erit, si hæc vestræ Protectricis verba, perpetuo in memoria hærebunt.

Prou.8. Nunc filij audite me, Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus hómo qui audit me, qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostii mei. Qui me inuenerit,inueniet uitam,& hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt,diligunt mortem. Hęc, carissimi in Christo fratres, dixi, non uos monendi, cum meis monitionibus uos minime in-

digere ſciam, ſed amoris erga uos mei teſtificandi cauſa, dixi. Hoc igitur ſingulari beatiſſimæ Virginis exemplo, non modo eius Academici Parthenij, ſed omnes fideles excitati, diligenter diuinis ſcripturis operam nauent. Et, ut hunc concludamus locum, ij omnes, quorum exempla attuli, & eorum ſimiles, ideo tam ſtudioſe chriſtianæ philoſophiæ operam dederunt, quia Chriſtum amabant, ac propterea eius delectabantur doctrina. Nam, unde indefeſſa legis meditatio, niſi ex deſiderio eius, qui legẽ tulit? ideo pauci ſunt, qui diuinę legi incumbant, quia pauci ſunt qui Deum, ut deberent, ament: cõtra uero cum omnes ſeipſos ament, omnes quæ ſua ſunt quærunt, & nõ quæ ſunt Dei. Et quamuis multis uarijſque rationibus, quantum Deus opt. max. nos diligat, & nos tanquã amicos & filios tractet, indicauerit: tamen, ea re maxime, quod maxima, & occulta ſapientię ſuę myſteria nobis reuelare uoluerit: idq; apertiſſime Chriſtus dominus, qui ad nos docendos in hunc mũdum uenit, tunc demonſtrauit, cum Apoſtolis ſuis dixit: Iam non dico uos ſeruos: quia ſeruus non ſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui a Patre meo nota feci uobis. Nos uero, cum Dei legem in noſtram utilitatem nobis datam, nõ legamus, non tractemus, & Deum, & noſipſos parum diligere haud obſcure oſtendimus, & noſtræ ſtultitiæ atque ingratitudinis ſignificationem manifeſtam damus.

Hier. ad Euſtoc.

Ioan. 15.

Diuinam

Diuinam sapientiam facile acquiri posse, & quæ ad eam acquirendam conferant. Cap. XXVII.



VOD si qui tádem tanta rationum varietate, ac potestate, tot grauissimorum hominum sententijs, tot diuinæ sapientiæ monitionibus, & pollicitationibus, tot tantisque exemplis, ad hoc saluberrimum, atque egregium sacræ doctrinæ studium amplexandum essent excitati; sed tamen difficulrate perterriti, rem aggredi non auderent; nunc breuiter, hanc diuinam sapiẽtiam facile acquiri posse demonstrabo: ac etiam, quæ ad eam acquirendam sint necessaria, quibusdam admonitionibus, paucis explicabo. Et ne quis existimet rem, quæ pręter opinionem multis videri posset, a me esse confictam, ipsam sapientiã, id quod propositum fuit docentem introducã. In locis igitur supra citatis, vbi omni contentione omnes homines ad se cognoscẽdam ipsamet hortata est, quasdam sententias pronunciauit, quibus pigros & timidos a rei facilitate commo-
Prou.8. ueret, vt cum dixit: Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerit ad me, inueniet me. Et sub sapientis persona, hunc in modum eadem
Ecci.4. de re loquitur: Sapientia filijs suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & præibit in via iustitiæ: & qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilauerit ad illam, complectetur placorem eius.

eius. Et alio loco, Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: asidentem illã foribus suis inueniet. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter illam, cito securus erit. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis. Possem diligenter horum locorum singula fere verba perpendere; sed cum per se satis aperte, quod persuadere volumus, demonstrent, nihil est quamobrem in hac re diutius immorer. Si præoccupat, si prior se ostendit, si in ipsis foribus inuenitur, si circuit quærens diligentem se, non video, cur non sit acquisitu facilis: nisi ab ijs, qui ei terga uertunt, qui ab ea fugiunt. Item alibi, In proximo est enim inuenire eam. Videte oculis uestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Inclinaui modice aurem meam, & inueni illam. Itaque, cum huius sapientię acquisitio a munificentia pendeat diuina, & Deus non sit inuidus, nec impotens, & ipsemet ad eam consequendam & petendam inuitet, & petendi rationem præscribat, omni procul dubio ad hoc donum humano generi maxime accommodatum, liberaliter concedendum paratissimus erit. Quod ut facilius a munificentissimo parente obtinere posimus, quæ sint ad

Sap. 6.

Eccl. vlt.

Arist. lib. 1. met. c. 2

illud consequendum necessaria, in altera huius capitis parte nunc aperiam. Primum igitur, necessarium est maximum quoddam & ardẽs huius sapientiæ desiderium: quo, cum multi careant; licet rerum diuinarum notitiam se asse-qui uelle uideantur, cuiusmodi ego multos noui: tamen nunquam acquirunt. Nam, ut paulo ante scripsimus, hæc sapientia præoccupat eos, qui ipsam concupiscunt: & cum Sapiens exemplo suo mortales hortatus fuisset, dixissetque se esse hominem eiusdem conditionis cum cæte-
Sap. 7. ris, hæc adiecit verba: Propterea optaui, & datus est mihi sensus; & inuocaui, & venit in me spi-
Iob. 28. ritus sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: super salutem & speciem dilexi illam.
Ecci. vlt. Item alio loco, Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam. Hanc efficacem voluntatem cum multi non habeant; multi frustra, non modo in hoc studio, verum etiam in omni re agenda, inutiliter tempus terunt. Est deinde
Sap. 1. necessaria animi puritas & candor: quia scriptũ est, in animam maleuolam non intrare sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis. Hinc est, quod polluti & improbi homines apud omnes nationes a rerum diuinarum tractatione & cognitione semper fuere repulsi, vt nos alijs
Lib. de inter. homine. in locis latius demonstrauimus. Huc pertinet quædam magna animi summissio, siue humilitas; per quam homo quodammodo seipsum euacuãdo, seipsum magis capacem, & idoneum

ad tam grande munus accipiendum reddit. Ideo Ecci.38.
ſcriptum eſt, Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis: & qui minoratur, actu ſapientiam percipiet: quia ſapientia replebitur. Qui cum humilitate hanc doctrinam recipit, maximos inde Ecci. 11.
fructus capiet, cum ſcriptum ſit, Sapientia humiliati, exaltabit caput illius, & in medio magnatum conſidere illum faciet. Vitæ itaq; integritas ad conſequendam hanc ſapientiam, quæ eſt claritas Dei, & vapor virtutis eius, & incorrupta quædam lux, eſt maxime neceſſaria: quoniam pie agentibus Deus dedit ſapientiam. Et quia omnis ſapientia a domino Deo eſt, propterea neceſſe eſt vt magna contentione, ſummiſq; precibus a Deo petatur: quod ſi fecerimus, abſque dubio, eam conſequemur. Si quis, ait Iacobus, indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Quo ſane teſtimonio, nullum poteſt eſſe luculentius. Vide, vt nos efficaciter ad petendum commoueat, dum ait: Dabitur ei, & quidem affluenter, & abſque exprobratione. Quis igitur poſtulare nolit, cum tanti boni poſſeſſio poſtulatione ipſa potiſſimum acquiratur? Poſtulet autem in fide, hoc eſt cum fiducia, nihil hæſitans, quin ſcilicet Deus potens ſit, vt queat, & miſericors, vt quod petitur dare velit. Fili igitur, vt cum Sapiente concludem, concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. Hanc acquirendæ ſapientiæ rationem, is nobis, & verbo & exemplo indicauit,

Ecci. 43.

Ecci. 1.

Cap. 1.

Apon. in cant.

qui maxima sapiētia fuit a Deo repletus: & ideo de se scripsit: Adij Dominū, & deprecatus sum
Sap.8. illum, & dixi ex totis precordijs meis. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, mecum laboret, & sciā quid acceptum sit ante te: scit enim illa omnia, & intelligit: & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia, & quæ sequun-
Ecci. 15. tur. Cibat itaque Deus eum, qui adeptus est iustitiam, pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potat illum. Cęterum, & si sapientiam a Deo petendam esse dicamus, eamque Deum nobis liberaliter largiri affirmemus: tamen, aliqua etiam contentio ex parte nostra, vt eadem sacra pagina docet, adhibēda est: ne quis solis precibus nixus, nihil agens, Deum tentare videatur: qui, ut nobis benefice sua dona largitur; ita etiam aliquam nostram diligentiam, at-
Ecci. vlt. que conatum requirit. Videte, ait Sapiens, oculis vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Inclinaui modice aurem meam, & excepi illam. Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo eam cōfirmatus sum. Quare, & si aliqui solis precibus maximam rerum diuinarum cognitionem sint consecuti: ta-
Aug. in prolo. lib. 1. de doctr. Christ. men, eam teneamus viam, quam vniuerse omnes patres ingressi sunt, vt & precibus & labore in hoc sacrosancto studio progressus quotidie faciamus. Hac Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Bernardus, Thomas, & alij perrexerunt. Vt ergo studeamus & legamus,

discendi

discendi & intelligendi cupiditas faciat: & vt intelligamus, oratio impetret: & vt impetremus, vitæ integritas promereatur. Sic itaque sapientiæ diuinæ amatores cupiant, sic orent, sic viuant, vt digni sint, qui a Spiritu sancto huius sapientiæ primo præceptore doceantur. Ex quibus colligere licet, eum esse huius doctrinæ idoneum discipulum, ac etiam professoré, qui tam discit, quæ audit, quam facit, quæ didicit: & ostendit scientiam suam ex operibus suis: quod est huius doctrinæ proprium. Hanc theologandi rationem sequebatur Origenes, de quo dici solebat: Qui hic est, qui quale habet verbum, talem habet & vitam? quoniam quæ docet agit, & quæ agit docet. Vis, Gregorius ille loquitur, qui Theologus cognomento est appellatus, aliquando Theologus euadere, ac deitate dignus? leges serua per mandata gradere: actio enim speculationis est fundamentum. Sine fundamento igitur ædificant, qui posthabitis diuinis mandatis, de rebus disputant diuinis. Fili, ait Sapiens, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi. Sed vide, amice lector, quæ nostra sit insania, amare Deũ, dum animus inclusus est in corpore plus possumus, quam, vel eloqui, vel cognoscere: amando plus nobis proficimus, & minus laboramus, illiq; magis obsequimur: & tamen semper malumus per cognitionem nunquam inuenire. quod quærimus, quam amando possidere, id quod nõ amando, etiam frustra inuenitur. Quod si quis-

Euseb. li. 6. hist. c. 2.

Orat. de statu epis.

Eccl. 1.

piam nunc quęreret, quanam potissimum ætate ad huius diuinæ doctrinæ cognitionem, sese tradere debeat, huic respondeat Sapiens: Hanc
Sap.8. amaui, & exquisiui eam a iuuẽtute mea,& quęsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Et alio loco, Cum adhuc iunior sum, prius quam aberrarem quæsiui sapientiam palam in oratione mea. Ante tem pus postulabam pro illa, & vsque in nouissimis exquiram eam,& florebit tanquam pręcox vua. Lætatum est cor meum in ea: ambulauit cor meum in rectum, & a iuuentute mea inuestigabam eam. Item alibi,Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus corã matre mea: & docebat me, & quæ sequuntur. Vbi autem quis eam adeptus fuerit,intelligat eius hanc esse naturam, vt sese communicet, ac liberaliter in alios transfundat. Cauebit igitur,ne sibi soli sapere velit, ne hac sapientia abutatur. Nam,cum hæc doctrina sit participatio quædam diuinæ bonitatis, cuius est seipsam communicare, eam proculdubio is deprauaret, qui inclusam teneret. Hanc salutarem admonitionem ipsa nos
Eccl.20. 24.33.& 41. sapientia, non vno in loco præbuit: vt cum dixit: Disciplinam in pace conseruate filij: sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in utrisque? Melior est homo qui abscon dit stultitiam suam, quam homo, qui abscondit sapientiam suam. Respicite, ait Sapiens, quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam. Et alibi, quid est au-

tem ſapientia, & quemadmodum facta ſit, referam: & non abſcondam a vobis ſacramenta Dei, ſed ab initio natiuitatis inueſtigabo: & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem: neque cum inuidia tabeſcente, iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ. Et alio loco, quoniam doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vſque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Hanc eſſe ſapientiæ, & ſapientis, quam diximus naturam, intellexit etiam Seneca, qui hac de re hanc pulcherrimam ſententiam pronunciauit. Cupio omnia quæ ſcio in alium transfundere: & in hoc aliquid gaudeo diſcere, vt doceam: nec me ulla res delectabit, licet ſit eximia, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem, reijciam. Nullius denique boni, ſine ſocio, iucunda poſſeſſio. Quæ precor, ait Anterus Papa, maior caritas, aut quod efficacius pietatis patrocinium poteſt a quoquam alicui impendi, quam ſi ignorantiæ tenebras, & imperitiæ caliginem, ab eo repellat, ac demum veræ fidei pabulo, non ad quæſtum, non ad ambitionem, ſed ad eruditionem & ædificationem, reficiat? Tanquam enim mutilo ſit manus, pes claudo, & oculus cæco. Et cũ hactenus varijs rationibus hominũ animos ad rerum diuinarum ſtudium excitare

Sap.6.

Eccl.24.

Senec. epiſt.6. ad Lucil.

Epiſt. ad Epiſc. Beticæ.

conati ſimus, eiſque ſapientię acquirendæ viam indicauerimus; illud in extrema huius noſtri opuſculi parte reſtat, vt quæ poſſent aliquem ab hoc ſtudio reuocare rationes, eas refellamus.

Refelluntur non nullæ rationes, quibus de diuinæ ſcripturæ & ſacræ Theologiæ ſtudio non multum curandum eſſe probatur.
Cap. XXVIII.

SED iam tempus eſt, ne vltra propoſitum nobis breuitatis ſcopum, noſtra excurrat oratio, & ne hoc quod teximus opuſculum in magnum volumen excreſcat, vt aduerſariorum, & ignauorum hominum diluamus rationes, quibus hoc ſtudium, uel parum humanis ingenijs accõmodatum, vel tam difficile, & tam parum vtile eſſe demonſtratur, vt in eo opera ponenda non ſit: vt omnibus remotis impedimentis, nemo ſit, qui hanc ſalutis viam ingredi, & vbi ingreſſus fuerit, in eadem ad finem vitæ vſq; perſeuerare nolit. Faciam autem earum rationum quas afferam, duo capita, quibus ſingillatim & breuiter reſpondebo: neque enim in præſentia ea omnia afferre volo ſophiſmata, quibus aliquando impij homines, vel vniuerſe contra totam Chriſtinam philoſophiam, & diuinam legem, vel contra ſingulos ſacræ ſcripturæ libros vſi fuerunt, veluti Celſus, Iulianus, Autolycus, Porphyrius, & alij; ſed ſolum ea, quibus aliqui,

hoc ſtudium pręclaro verſatiliq; ingenio parum accommodatum, uel non ſatis vtile, atque ſecurum eſſe in eo verſari, perſuadere nituntur. Qui ergo hoc ſtudium non magni faciendum eſſe exiſtimant, his fere rationibus ſuam ſententiam tueri conſueuere. Primum, eſto doctrina iſta ſit de rebus maximis, & altiſſimis, & ſua natura ſcitu digniſſimis: tamen, omnia quæ in ſchola chriſtiana traduntur, vel ſola fide apprehenduntur, vel ad fidem neceſſario tandem reuocantur: & idcirco in eorum cognitione ingenium humanum ſuccumbit, &, vt cum ſcriptura loquar, captiuatur in obſequium fidei. Quare, cum locus a fide ſumptus ſit imbecillus, & nulla arte, aut mentis agitatione tractetur, quod ſola fides docet, hæc doctrina non videtur eiuſmodi eſſe, vt in ea cognoſcenda pręclara ingenia occupari debeant. Cum itaque in hac ſchola humanæ rationi non concedatur, vt pro ſua vi atque natura, noua inueniendo, uetera confutando, meliora eligendo, veritatemq; magis illuſtrando, ratiocinari poſſit; cum limites ab huius doctrinæ auctoribus poſitos tranſilire, uel addendo, vel diminuendo nemini licere, ſanctiſſime decretum ſit, præclaris ingenijs non eſſe accommodatam affirmare licebit. Fatemur quidem ea, quæ diuinitus a Deo reuelata ſunt, fide ſuſcipienda eſſe: quod, in primis, non eſt contra hominis naturam; cum & in humanis ſcientijs, & in ciuili vita multa ſola fide & opinione teneātur humana: quæ, ſi quis reijceret, iure optimo

1.Cor.10

mo ab omnibus irridendus, ac explodendus esset: cum sine fide, ut latissime & neruosissime demonstrari posset, cõsociatio humana nequeat consistere. Deinde, non ita creduntur, nec credenda proponuntur, ut temere, & absque ulla probabili ratione recipi debeant: cum quæ Christiana schola profitetur, sint ita credibilia, ut nihil magis: &, ut quidam sapienter scripsit, nihil sit auctoritate diuina fortius, quam merito Plato, inter primas uirtutes reponendas censuit. Quoniam, ut uere, eleganterque M. Tullius scripsit, plerunque auctoritate proborum, ratio suæ credulitatis assensum citius exhibet, quam disputatione communi. Postea, vbi fide, diuina mysteria suscepta sunt, restat viuidis ac floridis ingenijs latissimus in quo possint vagari campus: nimirum in explicandis ijs, quæ fide suscepta fuerint, quod est operosum, & arduum: in veritate defendenda contra aduersarios: in alijs veritatibus ex rebus reuelatis colligendis, quæ sunt tria præcipua theologicæ facultatis munera. In his autem muneribus exequendis, maximæ, ac fere innumeræ oriuntur dubitationes, vt ex longissimis commentarijs sanctorum patrum in pauca diuinæ scripturæ verba, & ex quæstionibus, quas sacri Theologi tractat, cognoscere licet. Felicissimum fuit Origenis ingenium, & propterea magna volumina, in aliquibus huius doctrinæ partibus explicandis, conscripsit: & speciatim in libellum canticorum duos & triginta libros exarauit. Picus Miran-

Theod. de cur. græc. affec. Arnob. lib. 1. Bonau. Bessario. li. 2. cõtra Clũniat. Plat. c. 5.

Lib. 2. de rhetor.

Mirãdulanus,qui ita felici fuit ingenio,vt Phœnix,cognomento, fuerit appellatus, in pauca capitis primi geneſeos verba ſeptem libros,ſeptem diuerſas expoſitiones afferendo,in lucem dedit. Et omnes fere patres ingentia commentaria in prima eiuſdem libri capita nobis reliquerunt. Quidam recentior ſcriptor, in explicando primo Iſaiæ capite, viginti annos verſatus eſt. Ex his itaque plene, ni fallimur,hæc prima diluta eſt argumentatio: ad aliam igitur pergamus. Deinde,non videtur hoc ſtudium humano ingenio accommodatum, quod in eo de ijs rebus agatur,quæ humanam intelligentiam ſuperant; ad quas humana cogitatio peruenire nequit: quippe quæ ſolum ſupernaturali & obſcuro fidei lumine attingantur: non ſecus ac ſiquis diceret, clariſſimam ſolis lucem, non eſſe accommodatam veſpertilionis oculo, qui ita imbecillus eſt,vt diurnam lucem ferre minime queat. Imprudentis igitur hominis eſſe videtur cęcutientibus humanæ mentis oculis maximum rerum diuinarum ſplendorem,intueri velle. Quare,cauendum eſt,ne dum diuinam maieſtatem ſcrutari volumus,opprimamur a gloria. Habet hæc ratio primo aſpectu quandam probabilitatis ſpeciem: verum, ſi quis acutius eam inſpiciat,fuco illitam eſſe,facile cognoſcet.Principio, eadem ratione humanam theologiam non eſſe hominum ingenijs accommodatam probare liceret: cum hæc etiam, res diuinas contempletur: quas, licet aliqua tantum parte,cognoſcat, non

Prou. 25.

non propterea id, quod poteſt cognitionis de illis naturali conatu haberi, deſpiciẽdum eſt: ſed, vt ſapienter Ariſtoteles docuit, id parum, quod ſcitur, maximi fieri debet: & propterea omnis contentio ad eius acquiſitionem adhibenda eſt. Deinde, hæc eſt humanæ rationis vis atque natura, vt quibuſdam datis ac cognitis principijs, ex illis plura colligere ratiocinando queat: qua quidem ratione omnes humanæ inuentæ & auctæ ſunt ſcientiæ, & artes. Cum itaque luce diuinitus conceſſa, naturæ lumen corroboratum ſit, non eſt mirum ſi longe plura, & a ſenſibus humanis remotiora, de rebus diuinis, valeat cognoſcere. Non ſecus ac, ſi plus luminis veſpertilionis infunderetur oculis. Ideo regius propheta aliquando Deo dicebat, Illumina tenebras meas. Poſtremo, ſi quid iſta ratio probat, id ſolum euincit, nos non poſſe, etiam lumine fidei fultos, res diuinas clara cognitione intueri, cum eas ad lucernæ lumen in caliginoſo loco cernamus, donec lucifer, & clara appareat in alia vita dies: quod libenter concedimus. Atq; de iſta ratione hactenus. Tertia ratio, qua multi permoti, facile hoc ſacrarum literarũ ſtudium deſpiciunt, hæc eſt, quoniam, vt ipſi arbitrantur, hæc doctrina ſine vlla certa ratione ac methodo eſt digeſta; & quæ in ea dicuntur, perturbata quadam ac incerta ſerie poſita eſſe videntur: vt ex prophetarum, ſcriptis & pſalmorum libro cognoſcere licet: quo fit, vt quidã, quod ſæpe audiui, dicant, ſcripturam ſaltare, hoc eſt inter ſe cohæren-

Pſal. 17.

1. Pet. 1.

hærentia, & consequentia non dicere. Addunt etiam, sine vllo oratorio splendore, sine vllis dicendi luminibus, rustice, & inornate exaratam fuisse. Calumniantur præterea, quod interdum multa superflue dicat, & repetat: cum passim in ea reperiantur pleonasmi & tautologiæ: ac etiã interdum verba non omni ex parte honesta. Postremo, quorundam aures dictionis genere, tanquam impuro, & barbaro vehementer offenduntur: cum isti nihil non elegans, non purum, non castum exaudire queant: dicuntque sacrorum librorum lectionem eorum hominum phrasim magnopere corrumpere, qui latina puritate, romanoque candore delectantur. Decolorant itaque illos fucatos, & bellos, ne dicam bellutos homines, sacræ lectionis radij. Fastidiosa sane delicatorum hominum, qui cum fastidio diuina oracula legunt, fastidiose excogitata ratio; quam longa oratione refellerem, ni timerem, pio candidoque lectori me fore fastidio: breuiter igitur diluam. Quod ad methodum & scribendi rationem attinet, intelligant primum Zoili & Momi isti, alias esse Dei, alias hominum vias; vt ipse aliquando per quendam prophetam dixit: propterea non deberet mirum videri, si Deus aliter voluit suam doctrinam disponere, atque homines suam tradunt. Deinde, cum videamus Dei sapientiam, cuius est ordinate omnia efficere, admirabili quadam ratione, hanc rerum pulchritudinem constituisse, & animalia, etiam minima summa quadam arte fabricasse; quid de

Auguft. lib.3. cõf.

Isa. 55.

Rom. 13.

doctrina ad hominem rationis capacem docen-
Ecci.43. dum data, existimandum erit? cum longe præ-
stantior, sit sacra scriptura, quam cęli ipsi, in qui-
bus maximus perspicitur ordo, & admirabilis
series, vt ex his, quæ capite decimo quarto dixi-
mus, facile intelligi licet. Cum ergo omnia,
Rom. 13. quæ a Deo sunt, vt ait Paulus, ordinata sint, &
diuina sapientia disponat omnia suauiter, cur
Sap. 7. potius isti suam ignorantiam non vident? non
accusant? quod rationem diuinæ dispositionis
in sacris libris ob suam cęcitatem non videant?
Nunquid, vt egregie scripsit Origenes, hac de re
verba faciens, diuinam prouidentiam negaret
aliquis, quod eius rationes nequeat perspicere?
Vel dicat ignarus rusticus, stellas in cœlo non es-
se recte collocatas, quod vel binæ, uel ternæ, uel
quaternæ non incedant. Deum ergo quî tibi
rationem dedit, qua humanam scientiam cum
ordine tradis, sine ulla ratione tibi suam doctri-
nam non dedisse, dicere audebis? Postremo,
proferant isti librum, uel locum aliquem, quem
perturbate scriptum esse putant, & qui est in his
studijs uersatus, & qui regulas explicandarum
scripturarum nouit, ordinem ac methodum in
eo inueniet. Referam, quod aliquando mihi
occurrit. Vir quidam non ineruditus, & certe
ualde religiosus, ac uitæ monasticæ professor,
cum mecum de diuinæ scripturæ studio, & spe-
ciatim de psalmorum lectione sermonem habe
ret, conquerebatur, quod multis in locis, immo
passim, in psalmis nulla videretur esse rerum cō-
nexio,

nexio, ac consequentia. Tunc ego, profer, obsecro reuerende pater, vnum vel alterum locum, vt videamus, an vt existimas, res ita habeat. Attulit psalmum decimum septimum, qui præsertim sub principium, non satis cohærere videtur: quem, ita, auxiliante Deo, iuxta literam, quod ipse potissime de me requirebat, exposui, vt nihil congruentius, ac ordinatius fieri potuisse confessus fuerit. Sed audiamus pios viros, qui aliter, de genere scribendi diuinæ scripturæ, atque isti parum pij censores, senserunt. Scriptura, ait Cassiodorus, multis modis genera suæ locutionis exercet: definitionibus succincta, schematibus decorata, verborum proprietatibus signata, syllogismorum complexionibus expedita, disciplinis irrutilans. Apostolus, ait Isidorus, sæpe proponit, assumit, confirmat, atque concludit. Lib. 2. Ethymo. c. 3.
Quamuis omnem scientiam, Gregorius loquitur, atque doctrinam scriptura sacra absque vlla comparatione transcendat: vt taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vocat, quod a terrenis desiderijs ad suprema amplectenda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, paruulis humili sermone blanditur, quod nec sic clausa, vt pauesci debeat, nec sic aperta, vt vilescat: quod vsu fastidium tollit, quod legentis animum humilibus verbis adiuuat, sublimibus sensibus leuat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus semper quasi vetus recognoscitur, & tamen doctis semper noua reperitur. Vt Lib. 20. mor.

ergo

ergo de rerum pondere taceam, ſcientias omnes, atque doctrinas, ipſo locutionis ſuæ more tranſcendit: quia vno eodemque ſermone dum narrat textum, prodit myſterium: & ſic ſcit prętерita dicere, vt eo ipſo nouerit futura prædicare. Hoc, cum non animaduertant iſti moroſi cenſores, ſcripturarum ordinem non intelligũt, nec vident. Procedit, ait Rabanus, narrando, præcipiendo, prohibendo, comminando, promittendo, qui modus potius ad legem, quam ad artem, quæ procedit per modum quæſtionis, & diſputationis, eſt accommodatus. Atque hæc de ordine ſatis, nũc pauca de ornamentis: Nam, ait Auguſtinus, loquens de ſacris ſcriptoribus, ubi eos intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere, omnes qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere, non aliter eos loqui debuiſſe. Sicut enim eſt quædã eloquentia, quę magis iuuenilem ætatem decet, eſt quæ ſenilem, nec iam dicenda, ſi perſonæ nõ conueniat loquentis: ita eſt, quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeq; diuinos decet: hac illi locuti ſunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa. Poſſem quidẽ, ſi eſſet hic locus, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur illi, qui linguam ſuam auctorum noſtrorum linguæ præponunt, in literis diuinis oſtendere. Hæc Auguſtinus. Sed iſti noui Ariſtarchi de numero ſunt eorum, o Auguſtine, qui non intelligunt: neque illud iſti, qui ſanctas ſcripturas non

Rabanus.

Lib. 4. de doctr. Chriſt. c. 6.

vident, adnotarunt quod tu earum diligens perscrutator vidisti, & adnotasti, Non multitudinem eloquentium, sed multitudinem sapiẽtium sanitatem esse orbis terrarum. Qui plura, hac de re cognoscere cupit, Cassiodorum in psalmos varijs in locis legat. Ego vero, quod alio opere fusius demonstrabo, interim ita iudico, tantam esse in sacris libris dicendi artem, tantumq; splẽdorem, vt nihil artificiosius (vniuerse loquor) nihil splendidius fieri posse putem. Itaque dum speciatim librum Iobi, Isaiam, Ieremiam, Dauidem, & quosdam alios prophetas, ac Paulum lego, nihil eloquentius, nihil ornatius, vnquam a quouis scriptum fuisse statuo. Habet ergo hæc pulcherrima, & grauissima Regina ea ornamenta, quæ personam maturam, ac regiam decent, non quæ mulierculæ de prostibulo gestant. Male igitur isti, in diuina scriptura id desiderant, quo maxime abundat: & id in ea requirunt, quod omnes aliæ ab ea acceperunt: ac proinde vna cum Hieronymo dicant: & quia lumen cęcis oculis nõ videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Merito igitur Mirandulana phœnix, cum primum sacras degustauit literas, non tantum veram sapientiam, sed & veram eloquentiam se inuenisse lętabundus exultabat. Quod vero superflue omnino, de superfluitate aiunt, id proculdubio resecuissent, si idiotismos hebraicæ linguæ, si Spiritus sancti propositum in diuinis scripturis intellexissent. Et quid istis in mentem venit dicere, in ea scriptura aliquid

Sap. 6.
In psal. 11. 17. 52.
Epist. ad Eusto.
Mat. 5.
Bonau.

esse superflui, in qua nec apices ipsi, qui literarũ ambiguitatem distinguunt, sunt otiosi: quo fit, vt multo minus vel syllaba, vel dictio, vel sen-
Basil. tentia superuacanea sit. In scripturis sanctis, ait
Lib. de sacr. script. instit. Cassiodorus, nimietas non arguitur, sed magis importunitas crebra laudatur; & merito: quia quanto notitia rerum salutarium plus discitur, tanto amplius credentibus atq; operantibus ęterna vita præstatur: præterita sine falsitate describuntur: præsentia priusquam videantur, ostenduntur: futura quasi perfecta narrantur: vbiq; in eis veritas regnat: vbique diuina virtus irra-
Aug. contra Faust. c. 22. diat: vbique panduntur humano generi profutura. Quod vero ad honestatem attinet, quod quibusdam in locis de lepra, de scabie, de animalibus immundis, & alijs rebus huiusmodi
Raban. in Leuit. c. 18. Lib. 16. c. 6. mentionem faciat, ita respondet Rabanus. Vt quid temeraria pręsumptione arguimus lucem, quæ nosipsos nobis ostendit? arguimus verbum Dei, quod sine vitio vitia nostra reprehendit? Quid agis humana superbia? Tantæ sunt sordes tuæ, in has fęces deuoluta es, vt sermo Dei, qui curam tui suscipit, non aliter tibi subuenire possit, nisi in stercora tua quodammodo manus mitteret, vt tibi sordes detrahat, si dici fas est, ipse contrahat. Sicut tamen solis radius incontaminatus cloacas penetrat: sic stylus spiritus sancti attingit vbique propter sui munditiam, & nihil inquinatum incurrit in illum: & quæ apud eundem sequuntur. Immo, si quis scripturarum cõsuetudinem animaduertat, obseruabit, ea caste

& pudice dici,quæ in alijs ſcripturis parum honeſte dicuntur. Illud de elegantia,& verborum puritate, fatemur in ſacris libris, præſertim ſi de aliquibus priuate loquamur,& de verſionibus, maiorem elegantiam eſſe potuiſſe: ſed multis de cauſis,quas patres aſſignãt, Deus voluit ſuam ſapientiam ſine verborum fuco conſcribi: & ne longum hac de re habeam ſermonem,quædam viri docti, & pij huc pertinẽtia verba adſcripſiſſe ſufficiat. Horrent verba, iacet oratio; ſed ſi mature diſcutiantur, nihil eorum præſtantia ſublimius, auctoritate grauius, traditione verius, præceptione iuſtius,ſenſu ſuauius,pollicitatione felicius. Abeſt quidem nimis compti eloquij lenociniũ, & elaboratæ dictionis ornatus,quoniam ſua ſinceritate ſatis nitida veritas, non indigua fuco alieno. Et quod æque ad omnes pertinebat,communi ſermone, triuialibusque verbis exponendum fuit. Alioquin, alij non intelligerẽt,alijs autem daretur calumniæ locus,qua credentium numerum argutæ potius facundiæ, quam rectæ fidei adſcribere conarentur. Denique, vt iſtis faſtidioſis hominibus ex ſententia ipſorum magiſtri, Ciceronis ſcilicet, ſatis faciamus; Cicero pluris rerum,quam verborum eloquentiam faciebat: a philoſophis ornatum ſermonem non requirebat: verba rebus inſeruire debere, docebat. Repetant igitur iſti a latinæ linguæ artificibus verborum elegantiam, & ab hac diuina doctrina rerum cognitionem, quæ baſis & fons eloquentiæ verborum eſt. Hæc ita-

Lib.9.cõtra Iulia.

Mar.Mar. lib.2.c.5.

Lib. 1. de finib.

Esther.2. que pudica & casta Regina, Esther muliebrem mundum non requirit, cum sit ex se formosa valde, & incredibili pulchritudine ornata: quã qui spiritalibus oculis cernit, ad eam amandam vehementer inflammatur. Postrema ratio: id etiam multorum animos ab hoc diuino studio reuocat, quod videant longe plures, & maioris auctoritatis homines humanis legibus operam dare, & inde ampliores honores & opes referre, & hanc esse certiorem viam ad multos gradus in Ecclesia Dei obtinendos, velut Vicarij, Episcopi, & Pontificis: & tandem huiusmodi doctrinam plurimum ad reip. Christianæ gubernationem conferre. Hac itaque potissimum ratione multi persuasi, philosophiæ, Theologiæ, sacræq; scripturę studia minus colenda esse arbitrantur: illudque libenter vsurpant: Inops, & nuda philosophia incedis. Vt hanc rationem refellam, illud ab aduersarijs postulabo, quod liberaliter concedent, vt fateri, ac prædicare liceat, hoc studium esse, ex se, omnibus alijs dignius, atq; præstantius: tunc dicam, mirum minime videri debere, si pauci sint qui diuinis literis delectentur, cum pauciores sint, qui meliora, & potiora videant, & sequantur: eorum autem qui minus sapiunt, infinitus est numerus. Itaque, non est sapientis id sequi velle, quod multitudo sectatur: a qua illud, de Philosophiæ nuditate, pronuntiatum fuit: in quo, vt in cæteris omnibus, stulta & cœca errat multitudo. Placuit semper mihi, quod vir quidam vere sapiens, de philoso-

Ecclesf.1.

Franc. Petr.

phia loquens, ſapienter dixit: ſe non deſiderare præmium, vbi res ipſa eſt præmium: cum noſtris animis, niſi ſint auaritia deprauati, tantus ſit innatus cognitionis amor, vt ad hoc natura nullo emolumento incitata rapiatur. Quod ſi hoc loco priuatim philoſophiæ cauſam agere vellem, demonſtrarem profecto, quantum a veritate abſint, qui legum humanarum profeſſionem philoſophiæ ſtudijs anteponere volunt. Quod aiunt de opibus, primum nulla diſciplina ex ſe inſtituta eſt ad diuitias parandas, & qui diuitias pro fine habent, apud omnes ſapientes, etiam ethnicos, male audiunt; ac ſcientiarum naturam vſumque peruertunt, & liberales artes in mechanicas conuertunt. Deinde, iam diximus hanc doctrinam eſſe omni argento & auro præferendam: ſecum omnia bona afferre: & ſi Sapiens omnibus regnis & ſedibus eam antepoſuit, & diuitias nihil eſſe duxit in comparatione illius, cur non idem nos etiam exiſtimemus? an quia a Sapiente diſſentiendo, inſipientiæ noſtræ claram ſignificationem præbere volumus? At ego potius velim cum Sapiente deſipere, quam cum iſta inſipiente multitudine bene ſapere. De honoribus, eadem ſapientia diuina me docet, veros honores, & magna nomina, eos adepturos, qui eam ſequuntur; qui vero negligunt, & oderunt, mortem diligere. Quod ſi qui ſunt digni, qui ad ſupremos in Eccleſia Dei vocentur gradus, ij profecto ſunt, qui hac diuina ſapientia fuerint imbuti, quod ſapiens negaret, nemo;

Angel. Polit.

Leg. Cic. lib. 1. de finib. in 5. Tuſc.

Sadolet.

Sap. 7.

Iob. 28.

Prou. 8.

cum id, is Sapiens affirmauerit, qui id affirmando, errare non potuit: cum reges ad hanc
Sap.6. ſapientiam cognoſcendã ſpeciatim hortatus fuerit, & ad populos regendos eſſe maxime neceſſariam docuerit. Et profectò, quis nam erit magis idoneus ad gubernandam Dei Eccleſiam, is ne, qui legibus humanis, an vero, qui diuinis, quas Deus ad curam ſuæ Eccleſiæ humano generi tradidit, eſt imbutus? Ex ſacræ itaque Theologiæ ſchola Pontifices, Epiſcopi, aliȷque Eccleſiæ Prælati potiſſimum eligendi eſſent, cum Dei populus theologica doctrina præcipue
Sap.9. gubernari poſſit, ac debeat. Quare, & ſi quis fuerit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo hæc abfuerit ſapientia, in nihilum, vt Sapiens ait, computabitur. Habere itaque liceat, vna cum Sapiente, pro nihilo eos omnes, qui hanc veram ſapientiam nihili, aut parui faciendam eſſe inſipienter putant. Vt ergo inſipientibus, ſtulta, obſcœnis, immunda, & vanis, ſuperflua; ita ſapientibus ſapida, puris, munda, & prudentibus perfecta hæc cœleſtis doctrina videtur. Has igitur, & alias huius generis rationes hunc in modum diſſolueres. Nunc alterum diluamus cauillationum caput.

Diluuntur non nullæ aliæ rationes, quibus, tutius esse a rebus diuinis cognoſcendis abſtinere, quam eas cognoſcere velle, probatur. Cap. XXIX.

SVNT igitur alij, qui meliore quadam natura præditi, libentius diuinæ legis, quam humanarum ſcientiarum amplecterentur ſtudiũ; niſi quidam inanis timor, vel potius diſcendi labor ab hac honeſtiſſima prouincia eos deterreret: qui quibuſdã alijs rationibus ſuã negligentiam prætexere conãtur: quas nunc afferam, & refellam: vt his quoque, quantum in nobis eſt, conſulamus. Primum itaque illo ſe iſti prætextu tuentur, quod videant non nullos, qui huic doctrinæ ſe totos tradunt, interdũ a fide aberrare, & quoſdã, qui alijs doctiores uidẽtur, in graues errores incidere. Quare, tutius iſtis eſſe videtur, ſacro quodam ſilẽtio diuina myſteria venerari, quam ea vlla ratione diligentius ſcrutari, & examinare velle: cum in his rebus cognoſcendis modum ſeruare, & nolle ſapere pluſquam oportet ſapere, ſit difficile. Leuis ſane cuiuſdam ſupinæ negligentiæ prætextus. Nam, quod ad errores attinet, mirum videri non debet, ſi quis interdum, cum non ea animi moderatione, ac pietate, qua deberet, in diuinis ſcripturis verſetur, in errores labatur. Siquidem in ea ſolum aliquis peccat, quam profitetur arte. Neque Rom. 12.

 enim

enim pharmacopolæ in pingendo, nec pictores in potione conficienda, nec orator in arboribus inserendis, nec agricola in oratione texenda, errat. Quid igitur mirum, si quidam rerum diuinarum professores, interdum, quod ipsorum accidit culpa, rebus diuinis tractandis, offendunt, & inde errandi occasionem sumunt, vnde proficiendi sumere debuissent? Abstineant etiam a studio legum, omnium fortasse periculosissimo, quod sæpe iudices violent iustitiam: abstineant a medicina, quod sæpenumero medici, non ita ad sanandum apposite, vt ad perimendum agāt. Sed cur isti boni, & pij viri, qui sub pietatis specie res sacras silentio venerari uolunt, non animaduertunt hac vna doctrina fidem gigni, nutriri, defendi, & roborari? cum, vt ait Paulus, vtilis sit ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum in iustitia? non animaduertunt, inquam, innumeros homines hac doctrina ad maximos sanctitatis gradus peruenisse? Athanasios scilicet, Cyrillos, Basilios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios, Bernardos, Thomas, Bonauenturas, & alios pene infinitos. Et cur tandem, ut istum leuem prætextum omnino remoueamus; non animaduertunt, hanc disciplinam ex se, dare sapientiam paruulis, illuminare oculos, animas conuertere: esse lucē, qua ambulamus: aquam, qua reficimur: vinum, quo lætificamur, & panem, quo corroboramur? qui panis, quo magis teritur, magis nutrit: quod vinum, quo abundantius,

Aug. lib. 14. de Tr. cap. 1.
2. Tim. 3.
Psal. 18.

dantius bibitur, magis corroborat: quæ aqua, quo magis potatur, magis refrigerat: quæ lux eo maius præbet lumen, quo magis oculos in eam defixeris. Denique, vbi ſemel quis obſequio fidei rationem ſubiecerit, ac magis auctoritati diuinæ, quam humanæ rationi ſe credere velle ſemel ſtatuerit, nullum eſt errandi periculum, omnia tuta ſunt. Abijciatur igitur hic leuis timor, ne ibi timere videamur, vbi nulla eſt timendi cauſa. Psal.130. Deinde, ſępe audiui multos, & quidē pios viros, qui ideo a rerū diuinarum cognitione, & a theologica diſciplina ſe abſtinere dicebant, quod, auctore Paulo, ſcientia inflet, hoc eſt homines ſuperbos reddat. 2.Cor.4. Quare ſecurius eſſe uidetur, ſimpliciter credere, & bonis operibus incumbere, quam de multa doctrina acquirenda eſſe ſolicitum. Huius argumentationis expedita eſt ſolutio: nam, cum ſcriptura ſcripturę non ſit contraria, & certiſſimum ſit ſine hac doctrina neminem placere Deo, remque Chriſtianam conſiſtere non poſſe, uel Paulus intelligendus eſt de ſcientia humana, quæ humilitatis uirtutem non cognoſcit, aut ſi cognoſcit, eam ut oportet, aſſequi non poteſt: uel, ut ergo arbitror, non de ſcientia, ſed de opinione ſcientię, quam quis ſe habere exiſtimat, & re uera non habet: quę ſane opinio inflat, & nō nutrit. Is autem, qui uere ſapit, quo plus proficit, eo magis ſe deprimit: quippe qui magis ſe noſcit, ſine qua notitia ad ueram ſapientiam peruenit nemo. Non quia, ait Irenæus, veram ſcientiam

de

Lib.2. c.45. de Deo culpet, alioquin seipsum primo accusaret. Sed quia sciebat quosdam sub occasione sapientiæ, excedere a dilectione Dei. Responderem deinde, his bonis hominibus, hac diui Hieronymi accommodata ad rem nostram

Prologo in Gene. sententia: Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi; tantum nocet, si destruentibus non resistat. Meminerint hi pij ho-

Mat.5. mines eius, quod aliquando Christus Dominus nos docuit. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum: & eius quod est apud Danielem literis commendatum: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam

Cap.12. erudiunt multos, quasi Stellæ in perpetuas ęternitates. Ad hæc, non nullos etiam retardat illa diuinæ scripturæ sententia, qua dicitur: Al-

Eccle.3. tiora te ne quæsieris: atqui diuinum numen, quod nobis in hac doctrina cognoscendum proponitur, altius est, quam vt nos humi strati suspicere possimus. Quare non debemus oculos nostræ cogitationis, in res diuinas altius conuer

Prou.25. tere, ne, quod sapiens cauendum monuit, opprimamur a gloria. Securius igitur multo erit simpliciter credere, quam velle vlla humana ratione diuina inuestigare. Ex eodem loco, vnde sumitur, facile refellitur hæc argumentatio. Nã, ille idem qui dixit, non esse altiora nobis quærenda, viribus scilicet proprijs, soloque naturæ lumine, quod est exiguum; dixit etiam, Pluri-

ma

ma supra sensum hominum ostensa sunt tibi. Itaque diuino lumine fulti, quæ sunt supra nos, vbi per fidem fuerint suscepta, inquirere possumus ad quod faciendum, tot in locis, tot tantisq; rationibus, quot diximus, nos diuina sapientia inuitat. Id, si cum animi summissione fecerimus, nihil erit periculi vt opprimamur a gloria, cum maiore simus corroborati lumine. Insuper, videntur sancti Patres sępissime a rerum diuinarum tractatione, & sacrorum mysteriorum inquisitione, nos deterrere. De Deo, ait Chrysostomus, quæ non oportet opinamur, cum in quæstiones incidimus. Et Theodoretus extremæ dementiæ esse dixit, rationem arcanorum curiose indagare. Cyrillus Alexandrinus, nullum cōmodum ait afferre, humanis rationibus explorare ea, quæ neque dici, neque cogitari possunt; quæ sola fide oportet venerari, omni curiositate postposita. Hæ, & harum similes Patrum, ac scripturarum auctoritates, ab hæreticis, ad probandum non licere ulla ratione de rebus diuinis disputationem habere, afferri solēt: ac propterea a pijs hominibus sine periculo vsurpari non possunt: & cum non sit nobis hoc in loco propositum cum hęretico disserere, an res diuinæ disputatione tractari queant, quod nos tanquam certissimum posuimus, non est cur latius istas auctoritates explicemus: sed ijs, quibus hæc studia non placeant, eorundem Patrum auctoritatem obijcimus, qui res diuinas humanis rationibus sæpenumero tractarunt. Quare, potius

Hom.77. in epist. ad Tim.

Quæst.in Genes.

Li.3.dial. de Trin.

Lege Roger.opusc. de quæst.

tius eorundem patrum exemplo excitati, dies noctesque, vt ipsi fecerunt, in hæc diuina studia toto pectore deberemus incumbere, quam sine vlla ratione ea deserere. Illæ autem auctoritates, nihil aliud sibi volunt, quam, quod curiose & solis rationibus humanis, ac præter modum, & necessitatem, non debemus diuina mysteria tractare, & quasi increduli in dubium reuocare. Postremo, vt alias omittamus rationes, ideo quidam hoc studium abhorrent, quod sit nimis longum, nimis laboriosum, ita vt vix ad aliquā imperfectam cognitionem homini etiam diligenti, per totam vitā non sine valetudinis amittendæ periculo aspirare liceat: vt in alijs rebus cognoscendis, & bonis operibus agendis tempus collocare præstet. Leuissima sane ratio, & valde imbecilla ad retrahēdum hominem a maximarum diuinarumq; rerum cognitione: quæ tamen apud quosdam tantum habet virium, vt multos, quod experientia quotidiana docet, re ipsa, ab hoc præstantissimo studio retrahat. Sed valeat quantum potest, apud eos, qui in otio hebescere & languescere volunt: qui hilaritate, lasciuia, risu & ioco delectantur: qui ad fruges consumendas, cutem curandam, numerum augendum, & abdomini suo potius, quam honestæ laudi & glorię sunt nati: qui cum natura pugnantes, veri inuestigandi animis infixam cupiditatem, reuellere volunt; cum potius ignorantia tollenda, ac radicitus extrahenda sit: apud eos autem, qui cum Iobo, se ad laborem natos

Horat. in poet.

Cap. 5.

esse

esse norunt, nihil profecto valebit. Sed nobis omnis oratio est cum virtute, non cum desidia: cum dignitate, non cum voluptate: cum ijs, qui se Ecclesiæ, qui se suis fratribus, qui Christo, qui Deo, non qui somno, & conuiuijs, & delectationi se in hanc lucē editos esse arbitrantur. Non hæc audiuimus de sanctorum patrum factis, non accepimus, non legimus: qui non essent in tanta laude positi, si ita perdite suæ vitæ rationes instituissent. Sinant igitur isti, qui voluptatibus ducuntur, & cupiditatum lenocinijs se dediderunt, viros fortes in negotio versari, in tractanda nimirum diuina scriptura, quæ est panis Angelorum, siue fortium, non effœminatorum hominum, dum ipsi in otio esse volunt: nec eos in inuidiam uocent, quod sæpe faciunt, quorum honestos labores imitari nolunt. Sed semper fuit, eritque semper ignorantia infensa, atque inimica scientiæ. Cæterum, ad socordiū hominum ignauiam sugillandam, & ad animos discendi cupidos inflammandos, partem epistolæ diui Hieronymi ad Marcellam, qua, eam ad rus Bethlehemiticum inuitat, cum ad rem nostram maxime faciat, hic adscribere placet: quæ ita habet: Ambrosius (quem ex Marcionite, orthodoxum fecerat Origenes, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius, & Chalcenterus noster, intelligit Origenem, qui dictus est Adamantius, ab adamante lapide, qui nulla vi domari, frangiq; potest, quod cognomen olim tri-

Cic.

Psal. 77.

Hieron.

butũ fuit Didymo, Didymi Salſamẽtarij filio, qui M. Tullij temporibus floruit, ob infatigabilem ſcribendi inſtantiam, de quo ter mille, & quingentos libros ſcripſiſſe fertur: Chalcenteros vero, quaſi prædurus ab inteſtinis æreis: quem, noſtrum vocat, quod eius delectaretur ingenio) explicauit, in quadam epiſtola, quam ad eũdem Athenis ſcripſerat, refert, nunquã ſe cibum Origene prçſente, ſine lectione ſumpſiſſe: nunquam iniſſe ſomnum, niſi unus ex fratribus ſacris literis perſonaret. Hoc diebus egiſſe vel noctibus, vt & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale unquam fecimus? Quos, vel ſi ſecunda hora legentes inuenerit, oſcitamus, manu faciem defricantes, continemus ſtomachum, & quaſi poſt multum laborem mundialibus rurſum negociis occupamur. Prætermitto prandia, quibus mens onerata præmitur. Pudet dicere frequentiam ſalutandi, qua, aut ipſi quotidie ad alios pergimus; aut ad nos uenientes cæteros expectamus. Deinceps, itur in uerba, ſermo teritur, lacerantur abſentes, uita aliena deſcribitur, & mordentes inuicem, conſumimur ab inuicem. Talis nos cibus occupat, & dimittit. Cum vero amici receſſerint, ratiocinia ſupputamus. Nunc ira perſonam leonis nobis imponit: nunc cura ſuperflua in annos plurimos duratura præcogitat: & quæ apud eundem ſequuntur. Palam ergo tertius Adamantius & alter Chalcenterus Hieronymus, noſtras prauitates demonſtrat, & cur

dulcissima sacrarum rerum studia nobis videantur insuauia & perdifficilia, plane exponit. Est hoc studium laboriosum, non omnibus, sed delicatulis, languidis, & voluptatibus liquefactis: hominibus inquam sapientiam diuinam non amantibus, quam si amarent, nullum sentirent in ea acquirenda laborem, cum non sint onerosi labores amantium. Est longum otiosis, pigris, & oscitantibus: paruo tempore diuus Hieronymus linguam hebraicam didicit. Et Ioannes Picus, vt ipse de se scripsit, cum per mensem hebraicæ linguæ insudasset, tantum profecit, vt in ea, ni cum laude, saltem citra culpam epistolam dictare posset. Alliciat istos, qui laborem refugiunt, dulcedo illa, quam gustabunt, cum ad sapientiæ amplexus peruenerint: quia tunc cum Hieronymo dicent: Gratias ago Domino, quod de amaro semine (loquitur de laboribus in perdiscenda lingua hebraica exhaustis) literarum dulces fructus capio. Audiat hic, qui laborem fugit, suauissimam diuinæ sapientiæ admonitionnem: Fili a iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Sed hoc loco cum eadem sapientia exclamare licet: Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus! Quod autem de vitæ periculo aiunt, quæ mihi sæpe ratio inculcata ab amicis fuit, melior est, vt quidam sapienter

Lib. 1. epist. 20.

Eccl. 6.

Ludouic. Viues. ſcripſit, vnius hominis, etiam vnius diei, vita, quam centum annorum, vnius corui. Adhibeatur modus: quiſque pro viribus aliquam ſapientiæ partem ſibi comparet: &, vt ſupra ſcripſi, ſapientia eſt longæ vitæ cauſa. Diu multi viri ſapientes, cum ſibi temperare ſoleant, vixerunt: Aelian. Gorgias Leontinus, Socrates, Plato, M. Cato, Cic. li. 2. Acad. q. li. de ſen. qui græcas literas ſenes didicit: quas quidem ſic auide arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, & innumeri alij. Diuus Gregorius curis vniuerſalis Eccleſiæ gubernandæ oppreſſus, & capitis dolore perpetuo affectus, non ſolum ſacros libros legit, ſed etiam longiſſimis, & doctiſſimis commentarijs explanauit. Et denique, Epiſt. ad Salu. de vergin. vt cum Hieronymo concludam, multo melius eſt ſtomachum dolere, quam mentem: imperare corpori, quam ſeruire: greſſu vacillare, quam animo: pręſtat luctari cum Deo, & vincere, quam otioſe viuẽdo paribus pedibus incedere. Quod autem de bonis operibus dicunt, fateor vanam eſſe omnem ſcientiam, ſi non ſit cum honeſta vita coniuncta, quod etiam humanæ ſapientiæ periti vere & conſtãter affirmarunt: & eos a choro Porph. Epict. Senec. Sophoc. Ecci. 37. ſapientium reiecerunt, qui ſibiipſis non ſapiunt. Vir peritus, ait ſapiens, multos erudiuit, & animę ſuæ ſuauis eſt: & eſt ſapiens, animimæ ſuę ſapiens. Pium itaque requiro ſacrarum rerum inquiſitorem, qui ſaltem a grauioribus peccatis abſtineat: ad quod faciendum ſtudiorum labores, & uigilię, & maxime ſi de laboribus in hoc ſtudio ſuſceptis loquamur, mirifice conferunt: &

quidem magis ni fallor,quam flagellorum vſus.
Hoc poſito fundamento, cur non multum apud
Deum merebitur,qui dies noctesque,in lege Dei
verſabitur? cum mandatum Dei ſeruet? cum in
re utili & toti Eccleſiæ neceſſaria laboret?cum fi-
dei, ſpei, & caritatis virtutē, myſteria religionis
explicando,exerceat? cum in eam doctrinam in-
cumbat,per quam ſalui facti ſunt,quot quot pla
cuerūt Deo a principio?cū deniq; ſapiētia beatos Ecci.24.
vocet eos,qui ipſam elucidāt?Et quod de labore,
qui ad carnis titillationes cōprimēdas maxime
confert, paulo ante dicebam, quid eſt, cur tam
pauci hiſce ſtudijs delectentur, & tam multi co-
gitationis ſcientias refugiunt? cum tamen in re-
bus cogitandis,vt luculenter Tullius ſcripſit,ho-
minis vita, poſita atque etiam ſumma voluptas
ſita ſit? An quia hoc ſtudium non eſt delecta-
bile,vtile,& honeſtum, ac proinde maxime expe
tendum, & amandum? nequaquam: an vero, Eccle.1.
quia Deus dedit nobis hanc occupationem peſ-
ſimam,hoc eſt laborioſam,& difficilem,& idcir-
co maximi meriti procreatricem? Communis
hominum peſtis eſt,laborem fugere,quem ij fu-
giunt,qui ignorant pulchra eſſe difficilia:nec ani
maduertunt laborem honeſti cauſa ſuſceptū re-
cedere, ipſum vero honeſtum permanere; & ca-
ptam voluptatem abire, eius vero turpitudinem
in animo hærere,ſæpeq; maximas pœnitēdi cau-
ſas relinquere. Præſtat ergo aliquando ob præte-
ritos labores gaudere,quam ob dilapſas volupta
tes cruciari. Vano itaq; timore perterriti ad ueræ
S ſapien-

ſapientiæ ſtudia nõ ſe conferũt ij, qui nõ intelligunt ignorantiam eſſe omnium malorum ducẽ, &, vt quidam ſcripſit, infernum quendam, & errore, atq; inſcitia omnem uitam perturbari: qui non exiſtimant quærendi defatigationem turpẽ eſſe, cum id, quod quæritur, ſit pulcherrimũ: qui non conſiderant homini ad laborem, & non ad voluptatem, tanquam languidam, pecudem ad paſtum nato, nihil eſſe indignius, quam voluptatibus deliniri, inſidiaq; corrumpi: qui in ſe non ſentiunt innatam illam inueſtigandi veri cupiditatem: qui, inquam, non vident ipſam naturam nos ad maximas res cognoſcendas genuiſſe, & conformaſſe: qui nunquam legerunt illud, nihil eſſe in hac vita iucũdius ſenectute, bonis ſtudijs iuuentutis ſtipata: qui deniq; non conſiderant ſolam ſapientiam eſſe id, vnde nobis ſint petenda omnia, eamq; per ſe, ſua ui, ſuaq; ſponte omniũ bonorum cumulum nobis afferre. Quis ergo erit ita agreſtis moribus imbutus, aut quis ita contra naturæ ſtudia tam vehementer obdureſcet, vt a rebus diuinis cognitione digniſſimis abhorreat? Dum ergo uiget ætas, dum non adhuc canis ſpargitur caput, eam acquiramus rem, quę vtilitatem voluptatem, honeſtatem, omniaq;, vt breui dicã, animi & corporis bona ſecum affert. Et ut eam nos facilius conſequi poſſimus, ipſum omnium bonorum, & ueræ ſapientiæ fontem adeamus, atque ab eo, cum fiducia, his uerbis, eam petamus. Omnipotens ſempiterne Deus, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectũ, qui

Cic. lib. de ſenec.

Iac. 1.

hominem

hominem tuæ ſapientiæ capacem feciſti, da mihi ſedium tuarum aſtitricem ſapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis: quoniam ſeruus tuus ſum ego, & homo exigui temporis, & ad intelligendum infirmus, Mitte illam de cęlis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit, me cum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia: & erunt tibi accepta omnia opera mea. Quoniam ſi tua ſapientia a me abſuerit, etiam ſi conſummatus fuero, nec ſanari, nec tibi placere potero, & in nihil computabor, vani enim ſunt omnes in quibus non eſt ſapientia tua. Illumina igitur, o Domine, per Filij tui merita, & eius beatiſſimæ Matris interceſſionem ſapientiæ tuæ radijs tenebras meas, & conſiderabo mirabilia de lege tua. His itaque, vel alijs ſimilibus verbis, vir fidelis, ſapientiam cum fiducia a Deo petat, & ad eam conſequendam aliquam curam atque ſtudium adhibeat, & eam certiſſime conſequetur. Nec enim fieri poſſe puto, vt tantum bonum tamque nobis neceſſarium ab illo munificentiſſimo Parente, a quo in nos omnia proficiſcuntur bona, is filius non obtineat, qui cum humilitate, & fide ad eius gloriam petiuerit. Si quis ergo, vt cum Iacobo apoſtolo hoc cõcludamus caput, noſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.


Sap. 9.

Sap. 13.

Pſal. 118.

Cap. 1.

Totius operis peroratio. *Cap. XXX.*



CVM ergo nullæ ſint iuſtæ cauſæ, nulleque firmæ argumentationes, quæ nos ab hoc iucundiſſimo, vtiliſſimo, nobiſque maxime neceſſario, atq; omnium digniſſimo rerum diuinarum ſtudio reuocare debeant, aut poſſint: immo, cum innumeræ, efficaciſſimę, atq; neruoſiſſimæ ſint rationes, quæ nos ad verã ſapientiam, quam naturæ impulſu velimus, nolimus, neceſſario appetimus, conſequendam, nos excitent, commouent, pertrahunt; quis erit ita ſtupidus, ita ſibi inimicus, qui cum videat ſe in tenebris conſtitutum, nolit cordis ſui feneſtras aperire, vt hæc diuina lux, hic ſupramũdanus ſol in eius animum ingrediatur, vt inde omnibus ignorantiæ tenebris expulſis illũ claro ſplendore repleat, & ſumma iucunditate compleat? Quis ita ſui parum amans, qui, cum in hoc deſerto ſe ſiti perire ſentiat, nolit ad perennem aquæ cœle-
Pſal.41. ſtis fontem tanquam ſitibundus ceruus accurrere, ibique pleno ore auidius potare? aut in cellã vinariam ſibi patentem, inuitatus, & accitus in-
Cant.2. gredi, vbi hoc ſpiritali vino, ſpiritus inſtauret, vires reficiat, animumque exhilaret? Quis ſuæ vitæ tam parum ſtudioſus, qui cum ſentiat ſe fame
Prou.9. enecari, nolit in ampliſſimam opulentiſſimamq; ſapientiæ domum ab ancillis dominæ iuſſu vocatus, intrare? vbi menſam lautiſſimam ſibi paratam inueniet, vbi omni optimorum ciborum

genere famem explere, vbi lacte suauissimo, melle dulcissimo, pane cœlo delapso vesci poterit; quem etiam cœlites ad cœlestem mensam sumunt, eoq; æuo sempiterno vescuntur: quo sine vitam illam beatã traducere nullo modo queũt: ac proinde cœlestis Pater hunc panem illis perpe tuo ministrat. Quando igitur resipiscemus? vt appetamus aquam quæ refrigerat, lac, quod nutrit, panem, qui corroborat, vinũ quod inebriat, manna, quod sapit, mensam quę exhilarat, veram inquam sapientiam, qua nihil amabilius, nihil suauius, nihil fructuosius, atque diuinius a cęcis miserisq; mortalibus in hac rerum cęcitate atq; calamitate desiderari, aut excogitari potest. Vtinam hæc mortales saperent, & intelligerẽt! Quia nemo esset, qui nollet in paradiso delitiarum ver Gen.3.
sari, in promissam terram proficisci, ingnis colũnam in obscura nocte sequi, cæcos oculos in aquis Siloë lauare, citharam & fundam Dauidis, Sansonisq; maxillam semper pręmanibus habere. Si qui in hoc studio versantur in tertium cœlum rapiuntur, vbi arcana vident, quæ non licet homini loqui: si ipsi soli in promissam terram ingrediuntur: si ipsi soli ita felices sunt, vt botrũ diuinæ legis inde referant, humeris gestent, alijsque videndum, & gustandum proponant: si cum Deo luctantur, & uincunt, illustreque nomen ex hac pugna reportant: si eam reginam, quam Rex ille omnium sapientissimus quæsiuit, & adama- Sap.7.
uit, sibi desponsant, cũ eaq; iucundissime viuunt, & in lectulo summa cum quiete recũbunt: quis

tanto bonorum cumulo potiri, tantaque voluptatum copia, perfrui non concupiscat. Etenim, qui ad huius sapiētiæ amplexus, & oscula venit, qui in hoc lectulo cubat, mirum in modum, vltra omnem humanum sensum, cœlestibus gaudijs perfunditur: & nimio amoris æstu sui impotens, seipsum vix sustinet; sed in collum dilectæ languidus relabens, amoris vim vocis ac iubili testatur magnitudine. Filiæ Ierusalem exclamat, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quem languorem omni suauitate iucundiorem existimo: quem morte ipsa validiorem esse non dubito: quem regnis & sedibus præferendum censeo: in cuius comparatione aurum & lutum, vna cum Sapiente, æqualiter pendo. Ecquis huius præcelsæ reginæ pulchritudine diuinoque aspectu non capiatur? quæ uestibus omnium rerum cognitione variegatis induta, auro, gemmis, ostroque ornata, uarijs ancillis circundata, incedit: quæ omnibus leges imponit, omnia regit, omnia dirigit, omniaq; conseruat: quæ oculos in cęlū tollens in ipsam uim naturāq; diuinā penetrat, ęterna arcana scrutat̃, beatorū sedes perlustrat, cęlestes orbes cōtemplatur, &, vt breui dicam, per omnē naturam permeat: vt nihil sit tā remotū, quod non attingat, tam abditum, quod non inueniat, tam occultū quod non patefaciat; tam denique implicatum, quod non explicet. Hæc, hæc est illa vera & sola sapientia, quæ potest nos eruditos reddere ad salutem: quæ errores refellit, veritates docet,

Cant. 2. — Franc. Abbas. — Psal. 44. — 2. Tim. 3.

mores informat, peccata corrigit; & afflictos consolatur: dum lapsos erigit, labentes sustentat, progredientes iuuat, animos conciliat, discordes pacificat, & omnes in officio continet. Hæc est illa sapientia, quæ in tempestate sæua, quieta est; & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque hæret in patria, splendetq; per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit. Hic uere exclamare licet. O vitæ theosophia dux! o ueritatis indagatrix, expultrixq; vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? tu uere religionem constituisti: tu dissipatos homines in societatem uitæ conuocasti: tu eos inter se officijs & caritate iunxisti: tu inuentrix legum, magistra morum & disciplina fuisti: ad te confugimus, ac te opem petimus: tibi nos penitus totosque tradimus, in tuumq; sinum a primis ætatis temporibus nostram uoluntatem, studiumq; conferimus. Est enim unus dies in te cognoscenda collocatus, & ex tuis pręceptis actus, sine dubio anteponendus integrę ętati in alijs studijs consumptę. Te unicam, te amicam, te dilectam, te sororem, te sponsam, te delitias nostras appellamus. Quam dulcis es amica! quam suauis! Fauus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua. Huius ergo pulcherrimæ & integerrimæ & sacrosanctæ reginæ inflammemini, per ipsam æternam sapientiam vos oro, o carissimi. Accedant ad eam in docti, conferant se in domũ disciplinæ ignari: quid adhuc retardatis? ipsa

Cic.lib.5. tusc.q.

Cant.4.

Eccl.51.

ſapientia loquitur, & quid dicitis in his? animæ
Eccl.vlt. veſtræ ſitiunt vehementer. Hæc ſequantur ſtudia, qui veras voluptates, qui veras diuitias, qui veram gloriam, & veram beatitudinem quęrũt: hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia, hęc fama celebrantur, monumentis mandantur, & poſteritati propagantur. Eſt labor, non nego: abſtinere oportet, fateor: multis vigilijs eſt opus, veriſſime dictum eſt. Cæterum, labores & incommoda, vtilitate, & voluptate compenſabuntur maxima: cum nihil ſit quod maiorem oblectationem habeat, & maiore animum iucũditate compleat, quam rerum, tum maximarum, tum difficillimarũ diligens indagatio. Nihil amplũ, nihil magnificum, nihil præclarum, nihil glorioſum, atque erecto, celſoq; animo dignum ſine labore acquiritur. Eſt itaq; hęc omnium ſcientiarum, artiumq; domina, præclaris ingenijs, nobilibus viris, principibus, præſulibus, regibuſq; digniſſima, cum ſit quædam diuina poſſeſſio. Hanc, hanc, omnium ſcientiarũ ampliſſimam, antiquiſſimam, certiſſimam, omnes ſapientes viri, omni ætate, apud omnes populos, omni ſtudio, omni contentione, dies noctesque accuratiſſime quæſiuerunt: huius amore capti, amatam patriam caros parentes, dulces amicos, paternam hæreditatem, omnes opes, & commoda omnia reliquerunt, & ad remota loca ſe contulerunt, vel in monaſteria, vbi vita ab omni corporis voluptate aliena viuitur, ſeſe abdiderunt. Nos vero delicati & emolliti, & effœminati

M.Tul.

Ariſt. lib. 1.met.c.2.

fœminati quid faciemus? ſemper cutem curabimus? ſemper voluptatem pecudum more ſectabimur? ad quam qui ſuas cogitationes abiecerunt, nihil altum, nihil magnificum, nihil diuinum ſuſcipere profecto poſſunt. Conſiderabimus aliquando nos eſſe ad contemplandum natos? abijciemus aliquando impuros, inutiles, & perniciosos libros? ſtultam & vanam aliquando eam iudicabimus ſapientiā, quam Deus ſtultam fecit, & perdidit? & eam amplexabimur, quam ipſe per ſe, & per illuſtres & ſanctos viros nobis dedit? quæ veras virtutes nos docet, & ad eas conſequendas vires præſtat: quæ omnia corporis & animi bona delectabilia, vtilia, & honeſta, vitamque tendem immortalem tribuit. Noſſe enim te, o theoſophia, cōſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam, & virtutem tuam radix eſt immortalitatis. Erimus ergo ita ſtulti, ita erga nos ipſos credeles, vt hanc ſapientiam, a qua noſtra vita, noſtra conſeruatio, noſtra ſalus, noſtra beatitudo pendet, reijciamus, & cum ea omnium bonorum cumulum? O quam deſiderarem, vt aliquando Adæ filij huius cęleſtis arboris dulciſſimos guſtarent fructus ſupra a nobis fuſius recenſitos! quoniam, certiſſime cum Propheta exclamarent: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! cum eodemq; dicerent, Dei legem meliorem eſſe auro & topatio, pluriſq; ſe eam facere, quam millia auri & argenti: beatos eos vocarent, qui in ea dies nocteſq; meditantur: eam ſemper exquirerent, eius obliuiſcerentur

Cic. lib. de amic.

1. Cor. 1.

Sap. 15.

Pſal. 118.

ſcerentur nunquam. O cæcos hominum oculos, qui hęc non uident! O ſtupidos hominum ſenſus, qui hæc non guſtant! O hominum obtuſa ingenia, quæ hæc non intelligunt! Cur ego hic non tanto legis diuinæ zelo ſum incenſus, & tanto amore inflammatus, vt cum eam deſertam, & derelictam, & ab improbis hominibus deſpectam, videam, cum eodem propheta dicere vere poſſem: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia, o Domine, non modo non cuſtodierunt legem tuam, ſed deriſerunt, vituperarunt, ſordidarunt, commacularunt. Et tu, o prodige fili, quando paternam domum repetes? vbi, uerus, bonus, & integer editur panis: te alloquor, qui nouorum hominum nouas opiniones, & errores ſequeris: reſipiſce aliquando, & porcorum deſpice curã, ſiliquas porcis dignas eis relinque: recogita panem illum quo homines & angeli ueſcuntur, quo ſerui domi Patris tui abundant. Accurret, mihi crede benignus Pater, in amplexus ruet, oſculum pacis porriget, paternæ nobilitatis inſignia, ſtolam, annulum, & calceamenta tibi reſtituet. Relinque aliquando eos doctores, uel potius corruptores, quorum opiniones in dies permutari, errores confutari, & nomina etiam extingui cernis: eos, inquam, quorum nulli honeſti mores, nullæ incorruptæ uitæ rationes, nulla ueræ uirtutis & pietatis extant exempla: quorum quot ſunt dogmata, totidem ſunt mendacia errores, & peſtes. Eos doctores ſequere quos, uniuerſa approbauit Eccleſia: & ſi tibi,

Pſal. 118.

Luc. 15.

qui antiquitaté requiris, cum tamen in dies ſem per noue uiuas, & noua excogites, noſtri iuniores non placent, qui tamen placere deberent, reijce etiam tuos nuper e terra natos, Lutheros inquá Oecolampadios, Melancthones, Zuinglios, Caſtaliones, & ne plures chriſtianæ religionis peſtes, & lues commemorem, impios Caluinos; & repete Gregorios, Auguſtinos, Ambroſios, Hieronymos, Cyprianos, Baſilios, Chryſoſtomos, Cyrillos, Iuſtinos, Clementes, & alios pene innumeros, quos in beatorum cętu, & numero ponimus: qui, quam doctrinam recentiores tradunt, eam te docebunt, ueram, nimirum ſimplicem, ſynceram, & catholicam. Hanc igitur, dilecte, quæſo te, amplectere, quam ab antiquis patribus intactam catholica conſeruauit Eccleſia. Siquidem, natura duce, uera, fidelia, ſimplicia, & conſtantia diligimus, falſa uero & fallétia odimus, damnamus, reijcimus. Vos uero catholici, & eccleſiaſtici uiri nolite, obſecro, pati, vt veſtra vinea deſtruatur, ueſtra mẽſa euertatur, veſtrũ regnum ſubuertatur. O beatos illos, qui hanc præſtantiſſimam reginam ab improbis eiectam excipient! & eos infelices, qui eiecerint, & miſeri, qui amiſerint. Pudeat ſacros homines, & Dei filios minorem diligentiam ſe in ſacra & paterna doctrina retinenda, quam impuros diaboli filios in eadé euertenda, adhibere. Pudeat veros Chriſtianos negligentiores eſſe in defendenda Chriſti ſapiétia, quam pſeudochriſtianos in eadem euertenda. Pudeat eos qui vanitati & mundo renunciarunt,

Cic. lib. 1. de fin.

vanos

vanos & mundanos auctores legere. Pudeat literarũ professores lautissimas & exquisitissimas sacræ mensæ epulas deserere, & immundis siliquis, & cępis os suum polluere. Pudeat denique eos, qui cum in Christi schola versentur & Christi discipuli haberi velint, nihil de eius vera sapientia acquirenda curant. Profani ergo homines, viri alienigenæ, solo naturę lumine illustrati ad quandam verę sapientiæ vmbram consequendam, patrimonium neglexerint, caris parentibus se priuauerint, patriam & amicos reliquerint, remotas nationes adierint, varias regiones pedibus lustrauerint, maria periculosissima tranauerint, multa vitę pericula subierint, omnibus corporis voluptatibus renunciauerint, dies noctesque desudauerint, ac oculis etiam ipsis se orbauerint, & Christiani homines supernaturali lumine illustrati, & uiri præsertim sacri, omnibus auxilijs, Christi merito, ad discendum fulti, in magna sæpe magistrorum & librorum copia, intra domesticos parietes, sæpe etiam inuitati, rogati, iussi, & impulsi, ad Christi sapientiam perdiscendam non commouebuntur? se ad laborem & contemplationem in hanc lucem editos esse tantorum virorum, quos supra recensuimus exẽplis, non intelligent? Sed vel turpi otio hebescẽt, & marcescent: vel in plateis & spatijs inambulando totos ipsos dies inutiliter conterent: vel ad circulos, vbi de rebus ad se nihil pertinentibus, & rarissime sine alienæ famæ diminutione, sermonem habeant, conuolabunt: vel denique inutilium

Cic.lib.5. de fin.

Cap.25.

tilium librorum lectione, & voluptatibus quibuscunque, & vndecunque quæsitis vescentur: & existimabunt se optime natos, recte institutos, religioseque informatos? nisi christianam sapientiam vitæ parentem, ducem, & perfectricem, quã nos, laudauimus, commendauimus, celebrauimus, cuiusq; suauitatem, vtilitatem, necessitatẽ, celsitudinem, vtut potuimus, demonstrauimus, noluerint, humanis scientijs & curis posthabitis, toto pectore perdiscere? O me infelicem! quoniam hic ob ingenij mei tarditatem, orationis inopiam, spiritusque imbecillitatem, hæreo, balbutio, deficio, nec, vt percuperem, animos commoueo, nec flecto, nec tantæ rei amore inflammo. Sed vna me sustentat consolatio, quod tuo, æterna Sapientia, quæ per nationes in animas sanctas te transfers, quæ attingis a fine vsque ad finem, & disponis omnia suauiter, cum spiritus tuus, sit subtilis, multiplex, mobilis, suauis, & acutus, legentium animos cõmouebis, & ad te quęrendam, & amandam excitabis. Ego vero, vt tu, cui omnes intimę hominum cogitationes sunt manifestę, optime nosti, quidquid potui, quidquid habui, quidquid sciui, quantum in me denique fuit, id omne præstiti. Sed, vt finis aliquando sit, te candide lector obsecro, atque obtestor, vt, si forte ex numero eorum es, qui hactenus parum sapientiã diuinam amarunt, te huius cœlestis reginæ amor capiat: quam facile inuenies, cũ amatores suos præoccupet, se prius illis ostendat, in foribus inueniatur, & circumeat,

Sap.8.

Sap.7.

Sap.6.

eat, o ineffabilem diuinæ ſapientiæ bonitatem! quærés diligentes ſe. Modicum, ſapienti credas, laborabis, & multam inuenies requiem. Finem iungo principio, nec ſemel monuiſſe contentus ſum, ama ſcripturas ſanctas, & amabit te ſapientia: dilige eam, & ſeruabit te: optimam partem elige, Chriſtum te docentem auſculta, eiusque doctrinam dies noctesq; meditare: cum vanum ſit omne quod ſine Chriſto, qui eſt verus fons vitæ, & ſapientiæ, quod in hoc mundo ſapimus, & viuimus.

Hieron. epiſt. ad Demet.

Laus Deo opt. max. & Beatæ Virgini Annuntiatæ.





INDEX RERVM NOTABILIVM.



A

T Anima-

B


C

Chri-


 D 

 E 

 F 








L

M

M. Cato





 P 

Prin-

Q

R


S

Sacer-

T

Theo-

V



Finis Tabulæ.

Errata, sic corrigito.

Pag. 11. vers. 26. famem. p. 65. u. 14. exponet. p. 67. u. 21. &, vacat, p. 89. u. 6. alijs. p. 141. u. 12. sitiunt. p. 190. u. 30. gustare. p. 205. u. 1. sonos. p. 201. u. 8. suos. p. 276. u. 10. excitant. p. 285. u. 15. tu, o.

Minora errata, quæ ad ortographiam & interpungendi rationem pertinent, Lectoris iudicio reliquuntur.